Gc. III. 91.

Coll. vit.
o. 121a

ENGELBERTI KLÜPFEL

THEOLOGI FRIBVRGENSIS

NECROLOGIVM

SODALIVM ET AMICORVM

LITTERARIORVM,

QVI

AVCTORE SVPERSTITE

DIEM SVVM OBIERVNT.

BIBLIOTHECA BAMBERGENSIS

FRIBVRGI ET CONSTANTIAE

IN OFFICINA LIBRARIA HERDERIANA.

MDCCCIX.

LECTORI

S. P.

ENGELB. KLÜPFEL.

Accipis hic Necrologium, *in quo elaborando meum otium non inutiliter, nec inhoneste, mihi videor traduxisse. Cum enim me natura ad illam perduxit aetatem, quae, nisi liberali quadam et innocua voluptate subleuetur, in difficilem degenerat, atque morosam miseramque, ac molestis et odiosis cogitationibus sollicitam; nulla mihi materia, occupatio nulla ad id mali arcendum*

mihi visa est opportunior, quam quae versaretur in recolenda illustrium virorum memoria, qui, cum viuerent, amicitiae et necessitudinis vinculo, eorundemque studiorum similitudine mecum erant coniuncti.

Ea propter constitui, conscribere n e c r o l o g i c a s *hasce pagellas, iisdemque inferre eorum nomina, qui mea aetate, meque viuo, functi sunt fato suo, mihi, dum erant superstites, adstricti nexu sodalitii, et amicitiae foedere, eorundemque studiorum communione.*

Neque de omnibus, vt par est, mihi integrum erat referre. Plures ex charis sodalibus et amicis praeteriui silentio, necessariis in rem adminiculis destitutus. Eorum autem, de quibus tacui, iras non metuo: quoniam mortui, vt vetus fert prouerbium, non irascuntur, nec remordent. Quibus accedit, quod neque hi, quorum feci mentionem, neque illi, qui sunt praetermissi silentio, lucri hinc quidquam ferant, aut detrimenti.

Ita namque habeo, meam orationem, siue soluta sit, siue illigata pedibus, istiusmodi esse, vt obscurare magis, quam illustrare hominum, ingenio, virtute et doctrina praecellentium, merita laudesue possit. Tantum abest, vt de ingenii viribus, siquas habeo, aut dicendi facultate cogitem magnificentius; aut tantum mihi tribuam, quasi possem, qualibuscunque scriptis meis, celebrium virorum memoriam immortaliati mandare.

Etsi vero facile agnoscam, non eas mihi obtigisse naturae et artis opes, vt possem cuiusquam nomen monumento aeterno apud posteros consecrare, aut impertiri perennem gloriam: persuasissimum tamen habeo, mortuis (si modo earum rerum sensus quidam illis inest) non esse displicituram voluntatem hanc nostram, studiumque, quo adnitimur, cupimusque, aeterna vt sint et immortalia, quae de illis tradidimus.

Sed adeo ab opinione mea abest, vt credam, posse mea scripta vim mortis effugere; satis bene, feliciterque illis cessisse existimo;

si semel in hominum conspectum prodire, atque aliquam, neque ita longam, lucis vsuram vsurpare contingat. Verum vtcunque res cadat, in ipsisque cunis suffocetur infelix partus: satis mihi erit, hac qualicunque memoris gratique animi significatione ostendisse, non statim a morte, vt apud ingratos fit, effluxisse ex hoc animo recordationem virorum illustrium, de rebus meis omnique re litteraria optime meritorum.

Tandem ignorare te nolim, amice lector, in contexendo hoc Necrologio nullam habitam a me fuisse rationem dignitatis aut alterius praerogatiuae; sed tantum temporis, quo diem suum quisque obiit. Vale. Friburgi Brisg. die 18. Iulii an. 1809.

N O M I N A
DEFVNCTORVM, DE QUIBVS IN HOC NECROLOGIO FIT MENTIO.

	Pag.
Iosephus WEISENSEE . .	1
Xystus SCHIER . . .	7
Ioannes Georgius SCHELHORN .	19
Simon Ambrosius DE STOCK .	25
Franciscus Iosephus LIPP . .	35
Iordan SIMON . . .	38
Ioannes GERBER . . .	45
Marianus MÜLLER . .	50
Franciscus Stephanus RAVTENSTRAVCH	57
Christianus Friedericus POLZ .	63
Wilhelmus WILHELM . .	67
Georgius Carolus STARAVASNIG .	75
Theodorus PERGER . .	80
Martinus GERBERTVS . .	85
Eulogius SCHNEIDER . .	96
Michael Ignatius SCHMIDT . .	108
Franciscus Ludouicus L. B. De ERTHAL	117

	Pag.
Antonius Iosephus ROSSHIRT .	128
Iosephus Antonius De RIEGGER .	132
Philippus Iacobus STEYRER .	144
Franciscus Antonius VEITH . .	156
Christianus Franciscus Carolus De EBERSTEIN	161
Augustinus Antonius GEORGI .	168
Philippus STEINMEYER . .	178
Michael FRITZ . . .	184
Christianus Wilhelmus SCHNEIDER .	191
Sebastian. SEEMILLER . .	196
Georgius Andreas WILL . .	202
Aemilianus VSSERMANN . .	214
Ioannes Iosephus KLÜPFEL . .	220
Ioannes a S. CRVCE . .	227
Richardus TECKER . . .	232
Franciscus De BENEDICTIS . .	237
Michael DENIS . . .	245
Cottfridus LVMPER . . .	250
Conradus BORER . . .	255
Iosephus Andreas FAHRMANN .	259
Stephanus HAYD . . .	273
Possidius ZITTER . . .	279
Nicolaus WILL . . .	285
Iosephus PETZEK . . .	292
Iosephus KLEIN . . .	298
Georgius Matthaeus SCHNIZER .	304
Matthias DANNENMAYR . .	310
Georgius Wolfgangus PANZER .	316

⊖ an. 1766. 18. Jan.

JOSEPHUS WEISENSEE,

Canonicus regularis Heidenſeld.
Profeſſor theologiae.

Solum natale habuit *Wipfeldam*, apud Oſtro-Francos, in ditione, et dioeceſi *Wirceburgenſi*, pagum ad Moeni Fluminis dexterum littus ſitum, *Herbipolim* inter et *Schwinfurtum*, magis ingenii, virtutisque bono, quam generis claritate praeclarus, ac nobilis, patre progenitus, viro probo, honeſtique nominis cive, qui molendis in farinam frugibus operam dabat. Aſpexit primam lucem anno 1730. die 29. Aug.

Etsi vero me fuerit natu prior, quibusdam annis: vna tamen adoleuimus, vna hauſimus in ludo patrio, praeceptore eodem, religionis et litterarum prima elementa: vna abducti *Wirceburgum* rudimenta percepturi La-

tinae grammatices: vna eodem in gymnasio, moderantibus *Jesuitis*, vsi sumus magistro in perdiscendis humanioribus litteris: vna demum sub iisdem professoribus, viris ea aetate clarissimis ex eadem societate, *Marquardo Kretz*, *Henner*, et *Nebel*, instituti philosophicis disciplinis; donec philosophiae emensi curriculum, qui eramus ab ineunte pueritia coniunctissimi, populares, cognati, condiscipuli, et indiuidui comites, seiungeremur: me abeunte in Augustinianam eremum; illo paulo post recepto in collegium canonicorum, quod *Heidenfeldae* multis seculis floruit. Nemini itaque mirum videri debeat: si tam multiplici necessitudinis titulo homini mihi coniuncto locum in necrologio praebeam, quod amicis litterariis, qui me superstite diem suum obierunt, sacrum esse volui; vt, quantum in me est, memoriam eorum ad posteros propagarem.

Erat in *Josepho* magna ingenii, animique vis, subtile iudicium, atque sedulitas, studiumque non interruptum. Qua re factum est, vt, quae pertinebant ad litteras, celeriter arriperet, et in animo tanquam in cera, aut rectius, tanquam in aere insculpta retineret; parumque abesset, quin suos inter condiscipulos, quorum, id aetatis, ingens erat numerus, de doctrinae primatu decertaret. Mira ejus fuerat praecipue in poesin propensio, et faci-

litas; neque lusit in ea operam inanem. Nam et elegos, et odas ad veterum poetarum elegantiam scripsit, et epigrammata, quae mihi saepe praelegit, et inter amicos distribuit, nunquam recepturus. Eaque ratione primi illi partus poetici interierunt. Manet nihilominus testimonium illud, et monumentum publicum, praemium scilicet, quod in anni scholastici fine ei decretum est, collatumque ob artis poeticae peritiam, qua iudicio rei litterariae praesidum, prae corriualibus ceteris plurimum excelluit.

Aeque bene, praeclareque se habuit: cum studiis seuerioribus applicuit animum. Ad philosophicam facultatem progressus, eodem ardore, pari industria, profectuque non minus felice, artem perdidicit, recte ratiocinandi, quae et monstrat causas certitudinis, cur firmae sint sententiae, quas amplectimur; et ostendit loca mendosa, et causas sophismatum: quibus intellectis, pronum est, refellere fallacias. Quicunque hanc disciplinam vel negligunt, vel vituperant, ad barbaricam feritatem delabuntur. Nihil enim ea est magis necessarium, non modo in foro, iudiciis, aut in philosophia; sed etiam in ecclesia: qua qui carent, hebetes sunt, fungi, *ἄλογοι*. Artis vsu, qui latissime patet, et necessitate cognita, quam ardente studio, huic primae philosophiae parti sese dediderit. palam ex eo fit,

quod fuerit iudicatus dignus, qui quartum inter primos locum obtineret, ex 120. commilitonibus.

Neque in percipiendis philosophiae partibus reliquis desiderari passus est operam suam, diligensque et accuratum studium: praecipue autem intendit animum ad artes mathematicas, quas vt penitius comprehenderet, toto pectore incubuit. Monstrante itaque praeclaro eorumce studiorum duce et magistro *Nebelio*, atque incredibili discendi ardore inflammatus, breui tempore, ad intima reconditae, et multiplicis, subtilisque eius artis penetralia peruenit; adeo, vt in summa sibi laude posuerit earumce litterarum praeceptor, talem sibi obtigisse discipulum, qui cum magistro paria faceret.

Eum in modum peracto cursu studii philosophici, rerum humanarum omnium curis omissis, liberalium disciplinarum culturae totum se vt manciparet, ad sodalitium Jesuiticum conuolare peroptauit. Passus repulsam, quod, vt vultus pallor portenderet, non satis esset valetudinis firmae, ad theologiam *Wirceburgi* doctoribus Jesuitis audiendam se contulit; donec idoneum suis studiis locum inueniret. Vix anni elapso spatio est cooptatus in collegium canonicorum regularium, quod inde a septingentis annis cum magna disciplinae et scientiarum laude floruit *Heiden-*

feldae, haud procul *Schwinfurto*, ciuitate imperii Germanici quondam libera.

Anno 1752 nuncupatis solemnibus votis, filum theologici studii, quod *Wirceburgi* orsus erat, sub praeceptore domestico continuauit. Inauguratus sacerdotio an. 1754, quas didicerat disciplinas ipse docere coepit. At diuturnum non erat docendi munus. Infirma enim conflictatus valetudine, et sensim collabentibus corporis, animique viribus, ab amatis sapientiae studiis cum arceretur: medicorum consilio, solum et aerem mutaturus an. 1765 *Weterauiam* petiit, thermisque *Wisbadensibus* se lauit; vnde ad me inuisendum *Moguntiam* venit, vbi id temporis morabar, studiorum causa. Ad suos reuersus, cum recuperandae valetudinis spem nullam cerneret, malo ita inualescente, vt eius viribus obsisti nulla arte posset: coactus est illi cedere. Multis itaque editis pietatis egregiae signis diem obiit supremum, annos natus sex supra triginta, magno sui relicto desiderio.

Quae de *Josepho* commemoraui, retuli partim, vt testis αὐτοπτης: partim didici ex epistola *Bernardi Breuning*, parochi *Heidenfeldensis* ad virum cl. *M. Federum*, bibliothecarium, et theologiae professorem *Wirceburgi.*

In obitu
virtute et doctrina praestantis
Josephi Weisensee
Canonici regularis Heidenfeldensis,
Theologiae professoris,
de breuitate vitae humanae
Erotema.

In genus humanum mors crimine fluxit Adami;
Vt sacrosancta fides, relligioque docet.
Duxerunt homines viuendo longius aeuum,
Antea quam Noachiis terra periret aquis.
Protoparens, Seth, Enos, patriarchæ, Mathusalemq.
Egerunt vitae secula plura suae.
Postea viuit homo bis septem lustra per annos:
Et vix, teste Dauid, lustra bis octo feret.
Josephus moriens vix septem lustra peregit;
Ex quo adiit vitae limina prima suae.
Qui fit, quod nunc non centenos viuimus annos,
Et nullus numerat secula plura senex?
An lapides, herbae, succi, num pharmacon omne,
Viribus exhaustis, vi medicante carent?
Anne senescentis labefit sic machina mundi,
Ad finem properans corruitura suum?
Naturae hoc vitium? ignobilis anne voluptae,
Quae nimium incautis gaudia vana parit?
Attingunt annos, naturae lege statutos
Pauci: plerosque heu mors rapit ante diem.
Quam multos Mauors, properata morte trucidat!
Quam multi morbis, praecoce morte, cadunt!
Mille modis morimur; nec refert, quo moriare
Tempore, quoue loco funebris vrna vocet.

Exactae vitae mortis par consonat echo;
Qualis vita fuit; mors quoque talis erit.
Vixisti, Josephe, satis, maturus olympo,
Moribus innocuis, et pietate grauis.
Scilicet ipsa sibi virtus vberrima merces:
Et placidos obitus, qui bene vixit, habet.
Integritas vitae, candor, probitasque, fidesque,
Veraque relligio, te super astra locant,
Indulge socio, semper mihi chare sodalis,
Hexastichon tumbis addere triste tuis:
Hic situs est Joseph: gentis cognomina traxit
Ex albente lacu: mors sibi phtisis erat.
Dilectusque Deo, commendatusque Camoenis,
Heidenfeldensis gloria magna chori,
Corporis exuuias posuit tellure sub ista;
Spiritus alta petens, regna beata colit.

☉ 1772. 21. Mart.

XYSTUS SCHIER

Aug. litterator Vien.

Natus est *Bruggae* ad *Laytham* in Austria inferiore an. 1728. die 19. Jul. Cum salutaribus vndis renasceretur: impositum ei fuit *Pauli* nomen. Cuius conditionis parentes habuerit, haud satis liquet: illud solum constat, fuisse illum edoctum christianae religionis, et Latinae linguae rudimenta a viris instituti *Augustiniani.*

Humaniores litteras didicit *Posonii* (*Presburgi*) in *Hungaria* superiore. Jucunda ei semper fuit memoria illius temporis, quod in ea Musarum sede transegerat. Moratus autem ibi fuerat annos 6. Quare in grati animi significationem elucubrauit commentationem de academia *Istropolitana* siue *Posoniensi;* editam post eius obitum a *Martino Rosnackio* an. 1774 *Viennae.*

Annos natus 18. *Augustinianae* familiae nomen dedit in conuentu *Viennensi.* Exacto tyrocinio, votorum solemnium se obstrinxit religione, sacerdotio initiatus an. 1750.

Dum philosophicis, atque theologicis disciplinis, vt eorum temporum ferebat ratio, nauaret operam: sensit, doluitque illarum scientiarum afflictas vices, saepe testatus, sordere sibi id studiorum genus, inquinatum tot quaestionibus superuacuis, argutiis inanibus, et difficilibus nugis vndique horridum. Quare iam tum fastiditis disputationibus infructuosis discipulus prudentior vtiliora coepit consectari, totoque ferri pectore in res historicas, omnemque eruditionem litterariam, sine duce, et magistro; suopte ingenio, optimaque indole incitatus.

Vt, quo eum sponte sua pertraxit incredibilis ardor atque summa voluptas, optatis studiis vacare posset vberiore cum prouentu: voluntate antistitis, demandata illi fuit cura bibliothecae in monasterio *Viennensi* sui ordinis. Quod quidem munus votis suis opportunissimum libenter amplexus est, et obiuit sedulo, per omne vitae suae tempus. Curauit non tantum, vt rem librariam sibi commissam seruaret; sed augeret etiam melioribus, ac rarioribus libris: quos inter conspicuus est codex Hebraeus, membranaceus, insolitae magnitudinis, summa diligentia exaratus nitidissime. Operam praeterea dedit, vt veterum nummorum, atque naturalium rerum pararet collectionem.

Vix dici potest, qua contentione animi,

quoue studio in multam noctem protracto, elaborauerit, rebus ante nos gestis afferre lucem; quod luculenter declarat indiculus operum, quae elucubrauit. Hinc famam sibi, praeclarumque nomen peperit apud homines eruditos, qui eius merita in rem litterariam propius nouerant. Quicunque aliunde *Viennam* venerant peregrini, doctrina illustres, eius noscendi desiderio, ad visendum eum conuolarunt, demirati hominis eruditionem multiplicem.

Non contentus, melioribus litteris imbuisse animum, et semet perpoliuisse: sategit eorundem honestissimorum studiorum amorem in alios etiam transfundere; idque quod indefesso labore, atque seria meditatione didicit, sine inuidia communicare cum illis. Saepe, grauibusque verbis hortatus est concellitas suos, idem studiorum genus vt sectarentur. Discendi cupidis ostendit modum, quo veteres characteres, et antiquae inscriptiones legendae sint. Exposuit, vnde repeti debeat vel antiquitas, vel pretium codicum, Quis scriptor has, illasue materias pertractauerit copiosius: quid in hoc, illoue litterarum genere certum sit; ambiguumue: quae quaestiones essent frugiferae, et vtilitate praestarent, discussione accurata digniores, singulari facilitate, et perspicuitate pari edocuit.

Jam erat in eo, vt societatem litterariam

conderet, fratribus, de quibus bene sperare liceret, in eam adlectis. Quae materiae ventilandae essent, quo ordine, stylo, methodo efferendae, quibus inhaerendum legibus, ipsemet erat praescripturus; omnibus, quam eo in negotio posset, opem ferre paratissimus. Dolendum profecto, institutum saluberrimum morte praecoce viri optimi, quo minus redigeretur in opus, fuisse impeditum. Cogitaui saepe apud me tacitus, quod ad amicos etiam nonnunquam perscripsi, optime consultum iri religiosis coetibus tum demum; si totidem constituerent societates litterarias, vt tempus omne ab officiis pietatis vacuum, studio litterarum darent. Mallem autem, vno in conuentu ab omnibus vnum duntaxat coli oportere studiorum genus. Quin amplissimus in rempublicam litterariam fructus ex monasteriis eum in modum constitutis redundaturus sit, nemo dubitabit.

Quam fuerit laboriosus, ex lucubrationibus, quas elaboravit, coniicere pronum est. Centenarium enim numerum longe excedunt; quanquam morte praecoce fuerit praereptus. Ex his, quae reliquit monumenta ingenii, alia edidit ipse; alia post eius obitum vulgata typis; plurima autem adhuc inedita sunt. Ex singulis, exempli gratia, adnotamus aliqua:

Eorum, quae ipsemet in lucem publicam emisit, laudatur in primis commentatio

de primis *Vindobonae* typographis, cum variis ad rem adnotationibus. *Viennae* 1764. 4.

Dissertatio de regiae *Budensis* bibliothecae *Matthiae Coruini* ortu, lapsu, interitu, et reliquiis, ibid. 4.

De venerabilis *Hildeberti* . . . archiep. *Turonensis* operibus: eorum genuinitate, integritate, editionibus etc. *Vien.* 1769. 4.

Specimen *Styriae* litteratae. *Vien.* 1769. 4.

De *Maria Porphyrogenita* sponsa, *Anna* et *Maria* coniugibus, reginis *Belae* III. *Hungariae* regis. *Vien.* 1770. 4.

Post auctoris obitum inter alia lucem aspexerunt:

Buda sacra sub priscis regibus. *Vien.* 1774. 4.

Memoria academiae *Istropolitanae*, seu *Posoniensis* etc. *Vien.* 1774. 4.

Wienerische Bischöfe und Erzbischöfe. *Vien.* 1776. 8.

Furii Dionisii Filocali Calendarium antiquum Romanum, sub annum 354. scriptum, ad primam editionem paucis cognitam castigatum, et notis illustratum. *Graecii* 1782. 4.

Ac ea quidem, aliaque *Schierii* opuscula posthuma prodierunt potissimum cura, et studio *Martini Rosnackii Augustiniani*, regentis studiorum in conuentu *Viennensi*.

Ex manu scriptis longe plurimis seligo

non nulla, quorum titulos paucis verbis huc transferam:

Episcopi *Wesprimienses*, historice descripti; fol.

Suffraganei *Passauienses*, itidem sic adumbrati. fol.

Versuch einer Geschichte der Kirchen, geistlichen Hirten, Gebräuche und des Religionsstandes *zu Wien*.

De *Brunonis* I. episcopi *Misnensis* aetate, et serie episcoporum huius sedis emendata.

Episcopi *Jaurinenses* secundum seriem chronologicam recensiti.

Episcopi *Zagrabienses*, eadem methodo relati.

Episcopi *Bosnenses*, pari modo propositi.

Supplementum ad concilia Hungarica a *Peterfyo* praetermissa.

Concilia ficta, aut quae de fictione admodum suspecta sunt.

De erroneo cultu XXIV. seniorum in superiori *Styria*, et *Carinthia*, sub an. 1420; vna cum eorum liturgia.

Calendarium medii aeui, praecipue Germanicum, post Christiani *Gottlob Haltausii* operam, castigatum, et notis illustratum.

Scriptores Vniuersitatis *Viennensis*.

Abhandlung von der ehemaligen gelehr-

ten Gesellschaft, an dem Donaustrome; vnd einigen Mitgliedern.

Desino ex numerosa manu scriptorum serie plura huc transscribere. Coniectabit, dubio procul, ex his, quae meminimus, lector rerum intelligens, non esse contemnenda *Schierii* scripta anecdota, quae adhuc delitescunt in pluteis bibliothecae *Augustinianae Viennae.*

Equidem peroptauit *M. Denisius*, iustus earumce doctrinarum arbiter, mihique significauit per litteras, apud *Viennenses* librarios operam se daturum, vt *Schierianae* lucubrationes, tum euulgatae typis, ac dispersae, tum ineditae ob sui vtilitatem, ac praestantiam iunctim publicarentur. At obiit vir celeberrimus ante, quam voti sui damnaretur.

Me quod attinet; ex illis *Xysti* operibus, quae lucem necdum viderunt, duo maxime cuperem, vt in dias luminis auras proferrentur; *a*) Scriptores vniuersitatis *Viennensis: b*) specimen historiae de sodalitate litteraria-*Danubiana*, instituta a *Celte.* Opus priore loco commemoratum, latine conscriptum est spissum, et corpulentum in fol. Alterum, sermone vernaculo contextum, in 4to notitias plurimas continet, haud vbiuis obuias, quae historiae sec XV. et XVI. reflorentium in Germania litterarum maius lumen affundunt. Opus istud *Vienna* migrauit *Romam*; vt La-

tine translatum inferretur bibliothecae *Angelicae. Roma*, curante amicissimo *Teckero*, peruenit in manus meas. Excerpsi, quae in vsus meos fore reputaueram; atque, *Viennam* ad *Augustinenses* vt rediret, curaui. Illic dormit interea; donec ex bibliophilorum coetu surgat quispiam, qui excitet e somno, et a carceribus captiuum liberet. Deuinciet is certe non solum pios *Schierii* manes; verum etiam omnes litterarum, et humanitatis cultores.

Pios nominaui *Schierii* nostri *manes*; meritissimo quidem iure. Quemadmodum enim bonis litteris, ita erga Deum pietati, et charitati erga proximum egregiae, impense et constanter vacabat. Nullus ei sermo dulcior, aut iucundior, quam qui fieret de rebus diuinis: ac licet alias linguae esset paulo tardioris, mire tamen disertus videbatur; nec vnquam illi defuit sermonis copia; quoties de Christo loquendum erat. In rebus secundis non elatus; neque in aduersis deiectus, quidquid acciderit, solitus est dicere: *Amemus Deum nostrum.*

Habebat *Xystum* incredibilis quidam ardor, pertrahendi mortales ad veram pietatem, atque non fucatum doctrinae euangelicae cultum. Morientibus libenter adstitit; eratque illi multo iucundissimum videre christianos, qui ex vita bene acta solatium concipiunt, atque spem vitae melioris, tranquillo animo

mori; dum alii sibi male conscii diffidentes exhalant animam.

Solitudinis erat cultor, et amator praecipuus. E monasterii claustro pedem non extulit: nisi aut suaderet charitas, aut necessitas exigeret. Exiuit ad visendos infirmos; ad typographum, ad bibliopolam, ad homines eruditos se contulit; velut hominis, qui litteris deditus est, postulant negotia. Vbi vbi autem comparuit, egregia praebuit verae pietatis exempla; alienissimus a laedenda absentium fama. Abhorruit ab omni lusu: per omnem vitam abstemius, aquam bibit. Postremis vitae annis, vna per diem refectione contentus; modestus, mitis et humanus erga omnes.

Ecquis tandem huius viri exitus? Paucis habe: Grassata est anno 1772 in Germania longe, lateque maligna febris; absumpsitque, vt alibi, ita *Viennae* mortalium plurimos. *Schierius* piis obsequiis, quae hocce malo in priuatis aedibus laborantibus exhibuit, non contentus: ad opem sacram ferendam etiam illis, qui magno numero in publicis nosocomiis decumbebant, pio Zelo animatus, vltro sese offerebat. Obtenta ab antistite facultate, cum nosocomium peteret, comiti in via laetus dixit: *Quam felices essemus: si caderemus victimae charitatis!* Neque suo desiderio fraudati sunt. Contraxit vterque grassantis morbi contagionem. Decubuere ambo. Socius, *P.*

Charus Kare, theologiae doctor, et in *Augustinensium* coenobio sacrae scripturae lector, an. aetatis 36. vita functus est die 15. Martii. Quod vbi intellexit *Xystus*, identidem ingeminabat: *Dilexerunt se in vita; nec in morte erunt separati.* Praeeuntem secutus est paucis post diebus: ad vitam in coelis meliorem euocatus, die 21. Martii, annos natus 44.

Quae de *Xysto Schierio* adduximus, hausimus ex eius vita, quam *Martinus Rosnackius*, *Schieriano* operi: *De reginis Hungariae* primae stirpis attexuit; vna cum indice omnium fere elucubrationum, quas reliquit. Hinc praecipua transtulimus in bibliothecam nouam *Friburgensem* ecclesiasticam Vol. V. fasc. 2. Vnde petere quisque poterit, qui edoceri de viro optime merito plura desiderat.

De obitu
P. Xysti Schier, Aug. Vien.
ad
Augustinum Geruasium
quondam theologiae professorem Vien.
postea
episcopum Gallipolitanum
in regno Neapolitano
epistola.

Quae tibi Teutonicis adfertur epistola terris,
Imparibus numeris, questibus apta refert.

Occubuit nuper nobis communis amicus,
Qui, dum viuebat, charus vtrique fuit.
Xystus decrepita nondum grauitante senecta.
Intempestiua falce resectus obiit.
Virtutum cultor, Musis ex asse dicatus,
Laus erat Aonii, famaque magna chori.
Historis ingenium celebratur ab arte peritis;
Laudibus extollunt, elogiisque virum.
Dum schola doctorem coluit te clara Viennae,
Saluifici resonans dogmata sancta Dei:
Ille, velut nosti, veterum monumenta reuoluens,
Doctas, excusso puluere, carpsit opes.
Sunt, quae congessit, non trita; nec obuia; sed sunt
Rara, bonae frugis, dignaque scripta legi.
Forte Viennensem vis inclementior vrbem
Afflabat stygia, pestiferaque lue.
Corpora lethiferi pereuntia tabe veneni,
Multiplicesque neces triste videre fuit.
Tabe laborantum obsequio se deuouet vltro:
Schierus, et pulchra morte perire cupit.
Promptus opem miseris, aegrisque adferre leuamen.
Dum parat, heu Xystus victima et ipse cadit.
Ille quidem felix, ac terque quaterque beatus,
Nunc fruitur facie viuificante Dei:
Nos vero miseri dubiis iactabimur vndis;
Dum Deus in portum nos bonus inde vocet.
Carmina cum veniant animo deducta sereno;
Desino; meque dolor scribere plura vetat.

⊖ 1773. 13. Iul.

JO. GEORGIVS SCHELHORN

Superintendens et litterator Memming.

Ciuitatis et reipublicae *Memmingensis* supremus sacrorum antistes, magnique nominis litterator, probitate, innocentia et integritate vitae, candore animi, humanitate, beneficentia, doctrinarum splendore, et eruditionis copia, omnium in se oculos conuertit, mentesque conciliauit; quod nemo paulo humanior ignorat. Ante annos non paucos tempore feriato a studiis, scholasticisque occupationibus liber *Memmingae* cum tenerer, ad virum percelebrem, prius per famam publicam mihi cognitum, aditus mihi primus, conspectusque patuit. Dictu est difficile, quam mihi fuerit iucundum, in venerabilis, doctique senis amplexus ruere, in quo colendo nunquam cessaueram, ex quo nosse coepi. Salutationibus solitis inuicem dictis, sermo mox erat de studiis, et re litteraria. Vix oratione exprimam, quantam multitudinem selectorum et rariorum operum habuerit in promptu (tota domus biblio-

theca fuit) pro ea, qua erat facilitate, codices multos, sua raritate insignes, inspiciendos mihi praebuit. Ceteros inter magni aestimauit biblia Latina, liturgicis excusa litteris, absque indicio loci et anni, distincta in tres, quatuorue partes, quarum vna deerat. Contendit (an ex vero, nescio) hanc esse primam inter omnes Latinorum bibliorum editionem; affirmauitque, se post multam inuestigationem huic similem nullibi reperisse. Cum ventum est ad polemicos, mentione facta *Martini Chemnitii*, more Germanorum auito, percusso humero meo subridens aiebat: Hic est fortissimus contra vos. Reposui ego: Fortis declamator erat, qui multa dixit, pauca aut nihil probauit. De fratribus Polonis sermonem subinferens (habuit bibliothecam eorum integram) dolenter est conquestus, aegre eos refelli, et reduci ad veritatem. Respondi ego hunc fere in modum: Vestris principiis aegre, aut nullo modo: eodem enim ducunt. At aliter se res habet, et beatior est causa catholicorum, qui non sunt inermes, dum de illis aduersariis impugnandis, expugnandisque agitur. Non enim innitimur solis scripturis sacris, pro cuiusque arbitratu, vt apud vos est, explicandis; sed praeter illas agnoscimus necessitatem et vsum sacrae traditionis, id est, consensum christianorum veterum, maiorum fidem, ecclesiarum constantem vnanimemque doctrinam, testimonium, iudi-

cium, et magisterium ecclesiae, aut quo demum cunque nomine sacra illa auctoritas appelletur; cuius necessitatem et vsum si non agnoscunt Sociniani, in meridie caecutiant, necesse est: si agnoscunt, victas dabunt manus, et errore abiurato, quae vera, quae certa, quae salutifera sunt, profitebuntur.

Neque auarus erat librorum possessor, nec inuidus. Mecum certe, quod gratus commemoro, quotquot petii vtendos, liberali manu communicauit: cumque intelligeret, delectari me codice msc. epistolarum ad Tridentinam synodum, quas collegerat *Paulus Sarpius*, eas vt describerem, vltro mihi obtulit.

Cum postremum apud eum fueram, aiebat, se annum agere aetatis 67. Vegetus erat, fortis, corporis animique viribus integer. Die dominica pro concione dicentem audii. Dicebat grauiter, perspicuo, et ad populi captum. Fortunatus senex sex post annis mortem oppetiit: si tamen mortuus est, qui immortali fama gaudet apud posteros; quamdiu in orbe terrarum erunt, qui litteras colent.

Subsidiis aliis destitutus, ea tantum de *Schelhornio* adnotaui, quae ipse *Memmingae* cum morabar vel ab aliis audiui, qui propius eum nouerant; vel quae meis videram oculis, commercioque cum optimo sene habito didiceram.

Ad Dios Manes
Joannis Georgii Schelhornii
Supremi sacrorum antistitis Memmingae
Allocutio.

Fortunate senex, quem doctoremque ducemque
In sacris coluit clara Memminga suum
Qui tantum eminuit reliquis ex ordine mystis
Quantum iuniperis eminet alta cedrus.
Fortunate senex, quem Promus, Condusque beauit;
Auxit et vberibus, magnificisque bonis.
Nil tibi larga parens, melior natura negauit:
Ingenium felix, iudiciumque dedit.
Praebuit et corpus, solitis immune ruinis,
Vt viuens ageres ver quasi perpetuum.
Fortunate senex, quem flauus amauit Apollo;
Quemque chorus Clarius tempus in omne colet.
Quis poterit planctum dignis describere verbis,
Quem Phoebaea cohors, te moriente, dedit,
Cum tantum sydus docto decedere Pindo
Vidit, et emeritum succubuisse senem?
Aspera vis fati! nigro lux digna lapillo,
Lux inter luces perdere digna locum,
Quae terris, nostrisque decus tam nobile Sueuis
Abstulit, et nocti tradidit assiduae.
Fortunate senex, vidisti pignora dignis,
Amboque laudatis associata viris.
Post tua fata gener, recte quod munus obiisti,
Nactus: nunc clarus, spes tua, natus obit.
Fortunate senex, nunc fortunatius aeuum
Exigis; exutus corporis exuuias.
Perpetuae frueris diuino munere pacis,
Ex quo mens hilaris gaudia mille capit.
Nunc sine fine beat merces iucunda laborum
Innocuos manes gloria, laudis honos.

⊖ 1773. 23. Dec.

SIMON AMBROSIVS DE. STOCK,

episcopus Roson. et *director rei theol.*

Viennae, nobili genere natus, filius *Simonis De Stock* S. R. I. equitis, qui tribus augustis imperatoribus *Leopoldo*, *Iosepho I.* et *Carolo VI.* a consiliis fuit. Aspexit lucem primam *Ambrosius* anno 1710 die 2. Jan., filius natu maximus inter viginti proles, quibus eius mater praeclara et honestissima femina maritum locupletauit.

Domi a parentibus pie, ac liberaliter educatus, singularia de se praebuit tum industriae, tum ingenii specimina. Ardentiore discendi studio incensus, nihil impatientius ferre videbatur, quam in solius Latini sermonis elementis perdiscendis tam diu haerere, quin aliarum vtilium disciplinarum cognitio vlla, quemadmodum aetas illa ferebat, ingenuis adolescentibus propinaretur. Quam quidem temporum suorum calamitatem ille saepius deplorare solebat; et partim percunctando, partim legendo ei malo postea mederi studuit; vt in illis dis-

ciplinis, quibus aetate nostra puerorum ingenia solent imbui, rudis non esset, neque peregrinus.

Cum minime satiaretur adolescentis, celeriter quaeque arripientis, animus, atque flagraret scientiarum, quae sunt cognitu vtiliores, magisque necessariae, cupiditate maiore, quas in patria reperire opes litterarias se posse desperauerat, apud exteros conquirendas esse putauit. Vix igitur tertio aetatis exacto lustro, annuente patre, perrexit *Romam*, in celebre Germanorum collegium cooptatus, studiis potissimum ecclesiasticis operam nauaturus. Neque iis contentus, quae a doctissimis, quibus vsus est praeceptoribus in collegio, quotidie percipiebat; sed et alios, quos doctrinae fama in illa celeberrima vrbe commendari audiebat, cognoscere, adire, auscultare disserentes, atque consulere studiosissime laborabat.

Duos autem prae ceteris sibi a fortuna, aut diuina potius prouidentia oblatos, magistros optimos saepius grato animo commendauit; *Aegidium* videlicet *de Juliis* sacrorum canonum professorem, et *Gregorium Sellerium*, tum apostolici palatii magistrum; postea vero in purpuratorum patrum collegium, summi pontificis beneuolentia, merito receptum. Hausit ab illo non solum penitiorem canonici iuris doctrinam, in qua *Aegidius* plurimum excellebat; sed veram pariter studio-

rum recte instituendorum rationem; a *Sellerio* autem solidiora illa auitae theologiae principia edoctus est; quibus postea constanter, et ad mortem vsque adhaesit.

Quis, quantusque fuerit *Sellerius*, perhibent *Romanorum* litterati annales. Erat is sane tam ob morum sanctitatem, quam ob multiplicem eruditionem bonis quibuscunque acceptissimus. Mirifice delectabatur doctissimus cardinalis praeclara indole Germani iuuenis: mirabatur ingenii acumen, discendique ardorem: neque inutilem se operam positurum esse existimabat: siquo modo adolescentis, bonarum artium cupientissimi, commoda, studiaue adiutum iret. Quare quae sint purioris theologiae fundamenta firma, qui fontes, quiue auctores farinae melioris in primis consulendi sint, sacratioris litteraturae candidato candide aperuit. Inde nata est accurata, qua *Stockius* pollebat, historiae litterariae, optimorumque librorum de disciplinis ecclesiasticis cognitio; cuius fouendae, atque etiam amplificandae studio, vt domesticae collegii bibliothecae prae ceteris praeficeretur, a superioribus obtinuit. Inde insatiabilem illam hausit librorum colligendorum cupidinem, quorum selectissimam supellectilem non sine magnis sumptibus sibi postea comparauit. Inde demum illa in scriptoribus bonis euoluendis occupatio assidua; vt nihil ei magis

in votis esset, ac deliciis, quam bonae frugis libros nocturna versare manu, versare diurna.

Neque inter tam multa, quibus a *Sellerio* affectus est, beneficia postremum locum occupat, quod, laudati cardinalis opera, doctissimo pontifici, *Benedicto XIII.*, innotuerit; qui quasi praesagus eorum, quae *Stockius* pro defaecatioris theologiae augmento aliquando facturus erat, singulari eum fauore est complexus; eiusque ministerio, cum ad aram sacra priuata ageret, non semel est vsus: dataque occasione, crebro est cohortatus, missis in theologia quaestionibus otiosis, vt non consectaretur, nisi vtilia, et necessaria scitu.

Hortatibus itaque supremi ecclesiae antistitis, haud minus quam amplissimi Cardinalis *Sellerii*, quem tanquam patrem ac praeceptorem optimum coluit, *Stockius*, vt par est, obsequens, eas ecclesiasticae sapientiae opes septem annorum spatio *Romae* sibi congessit, vt, obtentis in theologia supremis doctoratus honoribus, reuersus in patriam, iam grauibus ecclesiae negotiis administrandis idoneus omnium iudicio aestimaretur.

At ille de se sentiebat multo demissius. Quanto enim a littore recedebat; eo maiorem esse scientiarum veluti oceanum perspiciens, adhuc multa sibi praestanda esse putabat, *vt diu penitus perdisceret*, quemadmodum *Plinius* loquitur in Panegyrico; *quae mox prae-*

cipere deberet, nihilque discendum haberet, tempore docendi. Quam ob rem ad paternos lares redux, in primis curauit, vt *Vindobonensis* Vniuersitatis albo adscriberetur; postquam illa litterarum studia, quae *Romae* perceperat, reuocauit ad incudem. Vt ne acquisitis scientiis deesset praxis, aut exercitatio; relicta tantisper *Vienna* rus secessit, vt quotidiano pastoralis curae vsu atque experientia magis proficeret *Probstdorffii* ductu, et magisterio sapientissimi viri, *Ferdinandi* comitis *de Halleweil*, paulo post ad *Neostadiensis* ecclesiae episcopalem cathedram euecti.

Rure vocatus in ciuitatem a *Carolo VI.* imp., oblatum sibi canonicatum in ecclesia metropolitana *Viennensi* est consecutus, annum aetatis agens vigesimum quartum. Quanta vero ea iam aetate eminuerit prudentiae haud vulgaris laude, vel ex eo luculenter apparet, quod *Sigismundus* cardinalis *a Kollenich*, *Vindobonensis* archiepiscopus, vir non minus genere, dignitate, quam vitae integritate, prudentia, ceterisque dotibus ecclesiastici praesulis spectatissimus, nouum canonicum ceteris, eoque senioribus anteponendum duxerit; eundemque pontificii muneris, atque grauissimarum curarum in partem assumpserit. Voluit, vt lateri suo perpetuus adhaereret; siue in vrbe, siue ruri moraretur; fidus contubernalis, omnium consiliorum particeps. Quare

non mirari subit, quod tanti pontificis potissimum opera metropolitanae ecclesiae renuntiatus fuerit *Cantor infulatus*, et in templo *S. Petri* decanus.

Vt ad illud, cuius gratia haec praemisimus, quod instituto nostro propius est, deueniamus; commemorare oportet, vnde laus incredibilis in immortalem virum redundat, amplissima eius in Vniuersitatem *Vindobonensem* merita. Postquam magistratibus academicis, in celeberrima Musarum sede perfunctus laudabiliter fuerat, videlicet decani sacrae facultatis an. 1741, et magnifici totius vniuersitatis rectoris an. 1746 tantam apud omnes sapientiae, atque prudentiae famam consecutus est, vt anno 1762 rei praesertim theologicae incremento, praeses denominaretur, atque director studii theologici.

Difficile est dictu, quam foeda barbarie tum temporis inhorruerit res theologica, tum *Vindobonae*, tum alibi. Eo fere progressa fuerunt theologorum studia, vt in agro theologico pro semente bona infelix lolium sererent. Doluit recens constitutus ephorus iuuenum vices, qui pro frugibus optatis non meterent nisi vrticas, zizania, sterilesque auenas, spinas, tribulos, algam, aut, siquid vilius illis. Clariora haec sunt, quam vt expositione egeant, vel confirmatione.

Aduersus hanc rei theologicae calamita-

tem depugnandum erat Stockio. Quaestiones nauci erant eliminandae e scholis sacris: a dogmatibus fidei secernendae opiniones hominum: bilinguis probabilismus, ferale illud doctrinae christianae monstrum, et morum pestis, cum infamiae nota perpetuo mulctandus exilio: maleuolorum ora, qui, cum veteri vappae assueti fuerint, omni in studiis litterarum reformationi pertinacius refragantur, obstruenda. Quae, atque id genus alia exsequi nemo alius potuisset ea prudentia, virtute animi atque constantia, quam nouus rerum theologicarum ephorus, In id tandem maxime incubuit, vt litterarum monopolium, quod quam sit nociuum reipublicae litterariae optime nouerat, e scholis arceret. Qua re factum est, vt *Augustinianis* etiam atque *Dominicanis* ad cathedras theologicas pateret aditus.

His rebus non minus prospere, quam celeriter gestis, nemo mirabitur; si plura alia maioris momenti negotia illi fuerint supremo Augustae imperio demandata, quae pari sedulitate, fideque integerrima constanter perfecit. Huc inter alia pertinet munus illud, quo consessui censurae librorum, quos vel ab exteris regionibus importari; vel typis etiam patriis euulgari contigerit, primo theologorum loco assidere iussus est. Cuiusmodi munus et quanti laboris sit, ob immensam illorum segetem, quae litterarum non tam emolumento,

quam detrimento succrescit; et quanto cum periculo coniuncta sit ob intemperantem illam sentiendi libertatem, innouandique libidinem, nemo vnus est ex bonis, prudentibusque viris, qui ignoret.

Aeque est suspicienda immortalis *Stockii* inuicta in rebus perficiendis constantia; quippe qui nec desidia, nec adulatione, aut metu, neque offensione aliorum ab officio, rectoque tramite poterat dimoueri; tantum abest, vt illius virtus labefactari studio auaritiae vnquam posset. Constat enim inter omnes, quotquot illum nouerant, adeo illum fuisse remotum ab istius pestis suspicione, vt potius effusae in egenos, amicosque indigos prodigalitatis fuerit a nonnullis accusatus; tantumque abest, vt pecuniis inhians rei domesticae augendae, amplificandaeque studuerit; vt potius minus considerata rei familiaris administratione augustos admodum intra limites transigere omnem vitam cogeretur. Et quanquam sacerdotiis frugiferis, immo aliquot ante obitum annis Episcopatus *Rosoniensis* munere, et dignitate ornatus, et *Augustae* munificentia lautis ad commodius viuendum subsidiis auctus, nihil tamen moriens post se reliquit, praeter selectam, atque copiosam librorum supellectilem; quam tum priuatis suis studiis, tum publicis, quibus fungebatur, mu-

neribus opportunam sufficientemque comparauerat.

Vt, qua fuerit praestantissimus praesul animi integritate, fide, et constantia in profligando docendi monopolio, et iuuandis iis, qui immerenter vexati erant, domestico quasi exemplo declarem, exigit grati animi officium. Vix ego annum vnum sacras disciplinas iussu regio docueram *Friburgi:* monopolae, rebus suis veriti, nostra calumniari, tanquam merces putidas traducere, ac veneno haereticae prauitatis infectas infamare non erubuerunt. Causa cognita rem indignam indigne ferens iusti et aequi amantissimus antistes, nubem mendaciorum dissipare in primis numerauit curis; suaque auctoritate, qua polluit maxima, effecit, vt factionis coryphaeus, conuictus iniuriarum, gradu et loco moueretur; conspirationis sociis, eo facto ita perculsis animo, atque confusis, vt palam hiscere porro non auderent. Quam ob rem in debitae obseruantiae, grataeque voluntatis pignus illustrissimo nomini vindicis, et Maecenatis mei inscripsi, obtulique librum apologeticum de eximiis dotibus naturae innocentis; cuiusmodi controuersiae tum temporis calidius feruebant.

Cum supremum sibi instare diem praeuideret ingrauescente morbo, ex vlceribus internis oborto, praeteritos vitae anteactae dies

recogitans, coram religiosissimis amicis, qui decumbentem inuiserant, dolenter semet accusauit: non semel tamen itidem testatus est, in iis omnibus, quae publici boni causa, in studiis academicis reformare, atque in formam aliam mutare curasset, nihil sibi conscire, de quo diuino iudici, cui sistendum se propediem nouerat, reddendam esse rationem, pertimesceret. Praeclarum sane, atque ineluctabile purae, rectaeque illius voluntatis testimonium; quo luce clarius efficitur, nemini illum nocere voluisse, neque profecta esse ex odio, aliisque affectionibus illaudatis, quaecunque in restaurandis litterarum studiis est molitus: quidquid oggerant, qui alienae detrahere famae, pulchrum ducunt.

Quid? quod de veritate, atque de maxima eorum, quae tradenda praescripserat, vtilitate persuasus adeo fuerat, vt morti proximus, cum omnem iam de rebus humanis curam procul posuisset, ac de aeterna duntaxat vita, in quam ingredi vnice peroptabat, cogitaret; de hoc tamen vnico fuerit ad vltimum vsque vitae halitum sollicitus, vt doctrinae, quam, auspiciis *Augustae*, intulerat scholis, strenueque defenderat, integra etiam post suum obitum conseruaretur. Suprema itaque eius desideria, post salutem animae, non alio tendere videbantur; nisi vt, praecipiente salua-

tore, *redderentur Caesari, quae Caesaris sunt; et quae Dei sunt, Deo.*

Hunc in modum comparatus communi omnium bonorum luctu obiit an. 1773 die 23. Dec. vir incomparabilis, de re litteraria, maxime theologica, optime meritus; anno aetatis LXIII. necdum expleto.

Quae de *Sim. Ambr. Stockio* retulimus, hausimus pleraque ex oratione funebri, quam in eius laudem *Viennae* in maiore vniuersitatis auditorio habuit *Iosepus de Hillmayr*, facultatis theologicae decanus; vnde pariter deprompta sunt, quae de summo viro leguntur Vol. II. Fasc. I. Nou. Bibl. eccl. Friburg.

In funere
nobilissimi et amplissimi viri
Simonis Ambrosii de Stock
episcopi Rosonensis in Hungaria
et rei theologicae directoris in Austria
Lessus.

Mors clarum pietate virum, columenque Thaliae,
Abstulit, Ambrosium, pontificale decus.
Pontificale decus cecidit, cui fauit Apollo,
Fontis et Aonii pocula larga dedit.
Quem Sophia ingenuis satis imbuit artibus, in quem
Contulit ingenii prodiga mentis opes.

Qui Petri sacram veneratus in vrbe cathedram,
Perdidicit summi iussa verenda Dei.
Heic, duce Sollerio, coepit dediscere nugas,
Queis male compositae personuere scholae:
Qui repetens patriam, studiis melioribus auctus,
In pretio cunctis, ac in honore fuit,
Iussibus augustis, praesul templisque scholisque
Praefuit in terris, magna Theresa, tuis,
Pontificale decus: docuit, quae cura sacrorum,
Quae superis, summo quae sit habenda Deo.
Vanas exosus rixas, gerrisque fugatis,
Castum seruauit relligionis opus:
Sustulit et nocuum monopolion, atque docendi
Spartam communem pluribus esse dedit.
Non tulit, innocuos atro carbone notari,
Nomineque infami dicier haereticos.
Pontificale decus cecidit: qui largus egenis,
Pauperibus tribuit, quidquid habebat opum.
Pauper vt is vixit, nummum contemptor, opumque;
Sic obiit; diues post sua fata satis.
Ereptus terris, fluxis, rebusque caducis,
Nunc summo gaudet, perfruiturque bono.
Quid iuuat aggestas arcis concludere gazas:
Quas spinis confert littera sacra Dei?
Absque Deo sunt cuncta nihil; solusque beare
Humanas mentes, et satiare potest.

⊖ 1775. 8. Febr.

FRANCISCVS IOSEPHVS LIPP

Botanices prof. Frib.

Patria Friburgensis, praestantia animi, ingeniique ornamenta, quae in nascentem contulit natura benefica, in *Friburgensibus*, et *Viennensibus* scholis magis excoluit, et perpoliuit mirifice. Humanitate, et studio commodandi omnibus, in omni vita singulari temperantia, morumque integritate plurimum excelluit. *Hippocratis* arti deditus, in scrutandis naturae arcanis perdius erat, atque pernox. Scholastico egressus puluere, solidisque artis, quam professus est, imbutus principiis, liberiori aurae se commisit, naturae opes propriis oculis in theatro augustiore lustraturus. Dum versabatur in *Hungaria* montes ascendit *Carpaticos*, collegitque, quidquid natura parens rarum, insolitumque offerebat. E *Pannonia* in patriam reuersus ditior doctrinae, naturaeque opibus, disciplinam, quam didicerat, edocuit litterariam iuuentutem publici professoris apud nos munere functus in tradenda botanice; botanicis notissimus ab herba *Lippiana*. Cui si per fata licuisset, vitam protrahere longius: *Flora Bris-*

goica, in qua ornanda, amplificandaque totus erat, laetiora sibi polliceri; et expectare merito potuisset. Postrema valetudine conflictanti cum adessem; valde se desiderare aiebat biblia Anglicana: quae cum ex mea penu obtulissem inopinato, iis conspectis magnopere est exhilaratus, et delectatus lectione; donec in Domino placide obdormiret; consumptus febri hectica; cum vix quadragesimum aetatis annum attigisset; vixit in coelibatu, temperatissime, vini abstinens; amator apicularum, et cultor praecipuus: nummulorum contemptor, largus erat egenis, magno sui relicto desiderio.

Haec habui, quae de viro amicissimo enarrarem. Hausta sunt pleraque vel ex eius ore, vel ex his, quae propriis vsurpaui oculis; destitutus subsidiis, aut documentis aliis; quae ad illustris viri vitam, et res gestas plenius declarandas valere possent.

In obitu
ingenio, virtute et doctrina
praecellentis viri
Francisci Iosephi Lippii
medicinae professoris Friburgi
ad
botanicae cultores
apostrophe.

Qui botanon studium colitis, studiosa iuuentus:
Triste est, quod vobis luctisonumque fero.

Lippius excessit. Luge Parnassica pubes!
Iacturam plora, moesta caterua, tuam.
Optimus in vestris studiis dux, atque magister,
Albertini obiit gloria magna chori.
Qui vos hinc migrans viduos sine patre reliquit;
Quid liquit, nisi quam flere, dolere, queri?
Artibus ingenuis a primae flore iuuentae
Adiunxit mores cum pietate graues.
Hippocratis didicit leges; artemque medendi
In patriis hausit, dogmata sana, scholis.
Vtque magis medica studiosum pectus in arte
Excoleret, dulcem deseruit patriam.
Claram lustrauit studio vigilante Viennam:
Et doctam laurum Paeonis inde tulit.
Postea in Hungarici suscepto principis aulam
Carpaticas alpes visere cura fuit.
Scrutatus mineras, sollers collegit et herbas;
Ex quibus vna suum Lippia nomen habet.
Hinc rediens, patriam iussus formare iuuentam,
In studio botanon duxque, comesque bonus.
Aetatem seros si protraxisset in annos:
Docto Linnaeo non foret inferior.
At victrice phthysi consumptus membra, reliquit
Artis praeclarum, quod bene coepit, opus.
Occidit ante diem, vix lustris octo peractis;
Annos qui Pylios viuere dignus erat.
Inuexit Floram nostras is primus in oras:
Vosque eius docuit noscere primus opes.
Scribite defuncto testem, breue carmen, amoris:
Dicite: Hic noster Lippius ecce iacet.
Hic situs est nostrae doctor, ductorque iuuentae;
Quo duce nos Musis addita turba sumus.
Hos quicunque leges versus, age, candide lector,
Dic: Meriti recubent molliter ossa viri.

⊖ 1776. 2. Aug.

IORDANVS SIMON

Aug. professor theol. Prag.

Neostadii ad Salam, ditionis *Wirceburgensis*, anno 1719. die 5. Nou. in lucem editus, *Albani* nomine, cum sacro fonte ablueretur, appellatus est. Pater musices, arithmetices, et linguae latinae peritus, scholae rectorem ibidem egit. A patre, atque praeceptoribus áliis institutus, prima eruditionis elementa auide arripuit. Humanioribus litteris in gymnasio *Münnerstadiano* annos quatuor operam dedit. A condiscipulis, licet vix non omnibus eruditione antecelleret, multum diligebatur: aeque charus erat magistris ob industriam, morumque suauitatem. Absoluto litterarum amoeniorum curriculo, *Augustiniano* ordini fuit adscriptus Tirocinio sacro inter graues difficillimi morbi dolores (calculo afflictabatur, ediditque insolitae magnitudinis lapillos) *Wirceburgi* exacto, anno 1737 ad monasterium *Moguntinum* missus, ibidem annos sex philosophiae, ac theologiae cum insigni profectu vacauit.

Valetudine haud satis firma cum esset, medicorum suasu, et ope patrui, *Francisci Simonii*, *Lankheimensis* monachi, et bonorum, quae in *Culmbacensi* ditione *Lankheimense* monasterium possidet, administratoris, thermarum *Carolinarum* in *Bohemia* aquis vsus est. Quo loco quorundam hominum sermonibus, ac familiari consuetudine pellectus, diuersas Europae regiones, siqua occasio sese offerret, perlustrandi, et quae sibi, ac aliis vtilia esse possent, cognoscendi, et discendi consilium coepit. Anno 1742 sacerdotio initiatus, poetici ingenii, ac eloquentiae laude claruit variis eam in rem publicatis lucubrationibus. *Moguntia*, quo reddita valetudine rediit, anno insequenti *Constantiam* iussus est migrare, et docere philosophiam. In multorum vero odia incurrit, audacis nouatoris notatus nomine, quod ab antiqua docendi consuetudine deflectens, opiniones Germanis auribus ingratas proferret in opere: *Paruulus tiro magni philosophi*, *Augustini in schola veritatis magistri etc. Constantiae* 1746. typis *Labhart.* 8.

Quod mente diu agitauerat, eodem anno exsecutus est; litterisque siue veris, siue fictis, quibus *Romam* proficiscendi facultas dabatur, instructus, peregre abiit. Ferunt, amicorum pecunia adiutum, *Italiam*, *Hispaniam*, *Galliam*, *Belgium*, *Germaniam*, qua ad septen-

trionem vergit, et aliquam *Russiae* partem perlustrasse. Abſuit a sua prouincia annos fere tres. Postquam multorum mores vidit, et vrbes; post varios casus, post tot discrimina rerum, ad suos reuersus, *Erſurtum* venit, veste ornatus splendida.

Poenitentia ductus, rebusque compositis, ad prius vitae institutum rediit. *Wirceburgi* aliquamdiu perſunctus sacri praeconis munere; *Erſordiam* repetiit pari laude ecclesiastici partes ibi obiens. Publicus eloquentiae sacrae, ac theologiae constitutus professor ab electore Moguntino, *Friburgum*, quo vocabatur ad tradendam dogmaticam, ire noluit, causatus imbecillitatem valetudinis: vnde mihi succedendi locum praebuit. Quid porro cum *Iordano* actum fuerit: de fuga *Erſurtensi*, itinere *Romano*, cathedra *Pragensi*, de monumentis ingenii, quae reliquit, accurate et copiosius exponitur *Vol. V. Bibl. eccl. Friburg.* vnde nostra hausimus.

Obiit in *Augustinensium Strankensi* praedio, quo leuandi animi causa secesserat, apoplexia tactus, anno aetatis quinquagesimo septimo nondum expleto. Sepultus fuit *Pragae;* vbi habitauerat, in coenobio Augustinensi ad *S. Thomam;* ab augustissima imperatrice regii consiliarii honoribus auctus, ab archiepiscopo *Pragensi* assessorum archiepiscopalis consistorii numero adscriptus ; a *Clemente XIV.*

R. P. Protonotarii apostolici munere decoratus; a *Card. Valenti de Valentibus* in theologum adscitus.

Opera, quae typis euulgauit, pleraque enumerat *Meuselius*. Multa, quae desunt, supplemus.

1. Paruulus tyro, vt supra. *Constantiae* 1746. 8.
2. Lobrede zu Ehren des heiligen *Benedict. Constanz.* 1746. fol.
3. Anweisung zur italienischen Sprache. *Erfurt.* 1775. 8. Repetita editio prodiit sine nota loci (*Schwinfurti*) 1770. 8.
4. Dissertatio de poenis paruulorum, sine baptismo decedentium. *Erfurti.* 1758. 8.
5. *Cephas*, non apostolus; sed discipulus, a *Paulo* reprehensus. *Erfurti.* 1758. 4.
6. Primitiae studii historico-ecclesiastici, exhibentes primum ecclesiae christianae seculum; vna cum tabulis chronologicis. *Wirceburgi.* 1762. 8. mai.
7. Das Welt betrügende Nichts: Die Hexerey, von *Ardoino Vbidente Dell' Osa. Würzb.* 1761. Mutato titulo comparuit idem liber: Die Nichtigkeit der Hexerey vnd Zauberkunst, in zwey Büchern. Frankf. vnd Leipz. 1766. 8.
8. Die Bekehrung *Augustins* in 6 Fastenpredigten. Sine nota loci (*Würzburg*) 1763. 8.
9. Monitum ad discipulos *S. Augustini*, de

vanitate concilii *Burgofontani.* Absque indicio loci 1764. 8.

10. Delectatio victrix. Deprecatio ad *S. Augustinum.* Scriptio opposita *Iosepho Carpano,* Iesuitae *Romano.* 1765. 4.

11. Sittliche Reden von dem grossen Gebothe der Liebe. 2 Bände. Augsb. vnd. Ingolst. 1767. 8.

12. Rede bey der feyerlichen Kundmachung des Kuhrfürstlichen Rescripts (de reformatione studiorum) gehalten in dem grössern academischen Hörsale. *Erfurt.* 1768. fol.

13. Lobreden zur verherrlichung Gottes in seinen Heiligen. 2 Bände. Augsburg. 1768. 8.

14. Breuis iuris ecclesiastici Germanici notitia. *Erfordiae.* 1768. 8.

15. Oratio funebris in obitu *L. B. de Schmidburg,* proprincipis Erfordiensis. *Erfurt.* fol.

16. Oratio dicta *L. B. de Bürresheim,* canonico ecclesiae metropol. Moguntinae, nouo proprincipi Erfordiensi. *Erfurti.* fol.

17. Oratio eucharistica, dum eminentissimus princeps, elector Moguntinus, *Emericus Iosephus* e graui infirmitate reconualuit. *Erfurti.* fol.

18. Lob- vnd Dankrede an dem feyerlichen Gedächtnisstage der wunderlichen Befrey-

ung der Königl. Stadt *Brix* von der Ziskischen Belagerung. *Prag.* 1772. 4.

19. Der heilige Apostel *Thomas*, ein Zeuge ohne Ausnahme von der Gottheit *Iesu Christi*, vnd der Göttlichkeit seiner heiligen Religion. *Prag.* 1772. 4.

20. Lobrede zu Ehren des heiligen *Ignatius*, gehalten an dessen Festage, bey den Iesuiten zu *Commothau* in Böhmen. fol.

21. I. S. A. christliche Beantwortung der vnkatholischen Antwort eines Katholischen auf die Frage: Ist das Band der Ehe so gar ohne Ausnahme vnauflöslich, als es die Canonisten vorgeben? *Salzburg.* 1776. 8.

22. Etwas zur Auflösung der Scrupel der wahren Andächtigen. *Kölln* vnd *Frank.* 1779. 8.

23. Predigten über die Menschwerdung, Leiden, Tod vnd Auferstehung *Iesu Christi.* Augsb. 1778. 8. Videtur nova duntaxat esse editio, mutato titulo.

Praeclari et eximii viri
I o r d a n i S i m o n
Augustiniani
theologiae professoris publici
primum Erfurti; postea Pragae
epitaphium.

Si vacat, oro, pedem sistas, venerande viator!
Versiculosque legas, quos lapis iste refert.

Hic cubat Eoa natus vir Francide, cuius
Dum vixit, clarum nomen in orbe fuit.
Dicitur a fluuio Iordanus, et a patre Simon:
Ortum Neustadii traxit ab vrbe suum.
Artibus ingenuis cultus iuuenilibus annis,
Coepit eremiticò se sociare choro.
Spiritus intus agens, includi nescius, arctos
Exosus fines, liberiora petit.
Multorum mores, multorum vidit et vrbes:
Et redit ingenio cultior ipse suo.
In sacris docuit templis, clarisque Lycaeis:
Illius hinc venit fama per ora virum.
Friburgum adscitus, coelestia semina verbi
Funderet vt terris, magna Theresa, tuis,
Ire recusauit, musei captus amore,
Quod serpentino flumine Gera rigat.
Paruit ille tamen placitis, iussisque secundis:
Nam post explicuit dogmata sacra Pragae.
Coelica diuini tuitus praecepta magistri,
Reppulit errores, gens malesana, tuos.
Certamen fidei constans certauit; arenam
Turpe ratus pugili deseruisse suam.
Donec finito fausto certamine, palmam
Pro meritis ferret, dignus ad astra vehi.

⊖ 1778. 18. Ian.

IOANNES GERBER

Benedictinus Theresensis.

E familia *Theresensium* Benedictini instituti, in ditione et dioecesi *Wirceburgensi*, natus *Wipfeldae* die 24. Augusti, coniunctus mihi patriae communis amore, effulsit iis maxime virtutibus, quae bonum coenobitam decent in primis, atque ornant. Ab exercitationibus monasticis, consuetoque penso, quidquid habebat temporis vacui, vel lectioni librorum vtilium, vel scriptioni impendebat, ab inerti otio alienissimus. *Diotalleuii* commentarium in psalmum quinquagesimum: *Miserere mei Deus*, Italico sermone contextum ab *Ignatio Kistlero*, canonico regulari ad S. Crucem *Augustae Vindelicorum* Latine versum, in Theodiscam linguam transtulit, vt nostrorum etiam hominum deseruiret vsibus, *Bambergae* vulgatum typis an. 1756; quod in amicitiae pignus mihi donó dedit.

Habueram, cum litteras humaniores annos quinque *Münnerstadii* apud Francos Eoos pro-

fiterer, in more positum, vt a gentili, viro optimo, peramanter inuitatus ad *Theresenses*, autumnalium feriarum tempore, me conferrem; tum vt complecterer amicum veterem, tum animi leuandi causa, vt excusso scholastico puluere, a laboribus actis respirarem parumper, nouisque resumptis viribus, ad relicta aliquamdiu Musarum castra paratior, vegetiorque redirem.

Quodsi fors contigit, vt, nescio quibus causis prohibitus, temporibus statis venire haud possem: aegre id tulit *Ioannes* bonus, diemque dixit vel tardanti, vel omnino non comparenti. En huiusce argumenti epistolium, quod ad me dedit die tertia Nouembris An. 1762.

Elapsae sunt autumnales feriae: nec te hic vidimus; secus ac eras pollicitus, datisque litteris confirmaueras. Dicebam in dies: Hodie veniet, veniet hodie. Neque enim rebar, ita te delusurum spes nostras. Venisses certe mihi, nobisque omnibus multo acceptissimus. Quid autem itineri ad nos obstitit? Quid est, quod te impediit, quominus hoc etiam anno *Theresium* nostrum inuiseres? Fare: quid viam ad nos praeclusit? Occupationum multitudo? Erant feriae a studiis, et exercitationibus gymnasticis. Aurae intemperies? iucundior sperari, ac ne optari quidem potuisset. Putares, rediisse amoenissimos veris rediuiui soles. Ad-

uersa valetudo? Quod dii, deaeque nolint. Quin asseuerare licet, etsi ad nos peruenisses semianimis, integram tibi valetudinem breui tempore tibi redditam fuisse, mutatione loci, salubritate aeris, et coeli clementioris vsura, quae a *Rhönanis* vestris alpibus procul abest. Nosti, apud nos omnia tibi libera esse, et aperta. Patet aditus ad bibliothecam: lustrare codices si lubet, aut studere. Cupis ambulare? Ambulacra vix inuenies alibi, magis commoda. Confabulari placet cum sodalibus litterariis de rebus, quae ad studia, atque eruditionem pertinent? Paratos hic habes confabulatores et iucundos, et eruditos. Quid sit, quod contubernium nostrum sis auersatus, cupio, abs te edoceri. Velim, rescribas per eum, qui hasce tibi perfert. Est pater filii, quem secum habet. Constituit, eum tradere vobis, humanioribus litteris in gymnasio vestro instituendum. Iuuenem bonae indolis vt commendatum tibi habeas, precor. Vale, et gentilis tui esto memor. etc. etc.

Aegre fero, qui tam diu, tamque longe a terra patria absum, plura me de populari meo, eiusque vita, et rebus gestis, cum haec scriberem, non comperisse; quae possem adiungere his, quae attuli.

EPITAPHIVM.

Hoc sunt sub saxo mortalia membra Iohannis
Condita Gerberi. Spiritus astra colit.
Doctus erat diui Benedicti filius: idem
Moribus integris, relligione, fide:
Viuendo recte ad mortem se rite parauit;
Confisus meritis, optime Christe, tuis:
Exspectansque tuam celsum super aethera vocem
Surgite, quos mortis vincla, specuspue tenent.

Pietate et doctrina insignis

P. Ioannis Gerber

Benedictini Theresensis

in dioecesi Wirceburgensi

ad mortem

praeparatio.

Continuo morimur. Quid vita; nisi ars moriendi?
Totius ergo vitae hoc opus, hic labor est.
Insipienter agit, quicunque hanc negligit artem,
Inque diem viuit, nescius ipse mori.
Se parat ad pugnam miles, se exercet in armis:
Nec rudis infidas nauita tentat aquas.
Quis, nisi desipiat, postrema pericula vitae,
Luctamque extremam haud rite paratus adit?
Si mors nostrarum foret vltima linea rerum:
Si pecudum, atque hominis par foret interitus:

Si vacuas animus pariter transiret in auras;
Vt vapor in nebulas extenuandus abit:
Tam caecae mentis torpor tolerabilis esset.
At necat haud animam, qui cremat ossa, rogus.
Namq. animus remanet post fata suprema superstes,
Dum terrae tumulus putre cadauer habet.
Exhalata anima vt primum de carne recessit,
Iudicis aeterni sistitur ante thronum:
Iustaque pro meritis fertur sententia: merces
Penditur ampla bonis; suppliciumque malis.
En quanti refert, hoc iudicis ante tribunal
Parere, et sceleris nullius esse reum.
Huc sua vota pius vertit, curasque Ioannes,
Moribus vt sanctis, innocuisque foret.
Quodsi, nam et sancti peccati lege tenentur,
Aduertit mores se temerasse suos:
Quae vitam vitiant, abolere piacula, sordes
Tergere contractas, proxima cura fuit.
Vsibus his habuit regalis cantica psaltis,
Quae de contrito carmina corde fluunt.
Psalmographi vertit Theodisce sedulus hymnos:
Edidit, vt multis commoda sacra ferant.
Iani prospiciens, et mens non caeca futuri;
Dum totam vitam ad fata suprema parat,
Propitiam exspectans aeterni iudicis vrnam,
Transiit ad superas, regna beata, domos.

Θ 1780. 17. Nou.

MARIANVS MÜLLER.

abbas et princeps Einsidlensis.

Primam aspexit lucem *Eschae* in *Ergouia* apud Heluetos anno 1724 2. Oct., sortitus, dum salutari lauacro regeneraretur, nomen *Iosephi Leodegarii*. Parentes habuit virtute magis, quam prosapia claros. Pater annos multos munus praefecti (*Statthalter*) *Eschae* summa fide obiuit.

Erat *Marianus* e quindecim liberis natu minimus. A teneris vnguiculis parentum cura pie educatus, annum aetatis septimum cum necdum exegisset, *Sachslenium* (patriam *S. Nicolai de Flue*) missus est, vt prima litterarum, atque musices elementa perdisceret. Egressus *Sachlensi* schola, annum aetatis agens circiter duodecimum, *Einsidlam* petiit, monasterium antiquo cultu Deiparae Virginis celeberrimum, adscriptus *Togatorum*, vt compellari solebant, numero, studiis humanioribus dedit operam; eaque praebuit tum doctrinae, tum pietatis specimina, vt bene de illo spera-

rent, quorum curae atque institutioni erat traditus. Alienus a seculi illecebris, totusque captus monasticae vitae amore, monachi vestem in eremo sacra induit, expletoque tirocinii tempore, solemnibus votis arctius se obstrinxit suscepto instituto an. 1743. 20. Ian. mutato nomine postea dictus *Marianus*.

Seuerioribus disciplinis, philosophiae ac theologiae studiis probe excultus, necdum initiatus sacerdotio, ad studia humanitatis redire iussus, docuit aliquamdiu artem rhetoricam. Anno 1748 sacerdos factus, antistitis iussu. *Bellinzonam* profectus est, erudiendae iuuentuti litterariae potissimum destinatus. Docuit ibidem annos octo rhetoricam, duos philosophiam, quatuor morali theologiae tradendae impendit; simulque in ecclesia oppidi primaria, singulis diebus dominicis, sermones, quibus doctrinam christianam exponebat, lingua Itala annos aliquot ad populum habuit.

Post annos quatuordecim, quos in *Bellinzonensi* gymnasio exegit, antistitis iussu reuocatus *Einsidlam*, subprioris, et post annos quosdam tabularii etiam praefecti munus obiuit. Plurimum praeterea eodem tempore adiuuit *Nicolaum* principem, abbatem suum, sexagenario maiorem, tum consiliis, tum opera, scribendisque momenti grauioris epistolis; praesertim annis 1764 et 1765. qui *Einsidlensibus*

admodum infesti fuerant; turbis a seditioso quodam *Catilina* excitatis.

Quam ob rem cum comitia indicerentur, habenda *Suitii*, ad ea a suo principe missus est *Marianus;* qui per horam fere integram ea eloquentiae vi *Einsidlensum* causam perorauit, et illustrauit tantis luminibus, vt praesentium quisque rei *Einsidlensis* aequitatem; seditiosorum vero hominum, maxime concitatoris, et coryphaei iniquas fraudes, et mendacia planissime agnouerit; adeo vt parum abesset, quin populares exfertis gladiis totius tragoediae auctorem peterent: nisi intercessisset *Marianus.*

Post obitum *Nicolai* principis, *Marianus* dignissimus iudicatus est, vnanimi suffragantium calculo, qui summa dignitate ornaretur; electus princeps an. 1773 11. Aug. Sublimiore hoc in gradu constitutus, monasticae vitae, suaeque professionis memor, de vetere instituto nil remisit, neque mutauit quidquam in victu aut vestitu, corporisue cultu reliquo; sed his, quibus praeerat, per omnia similis, sibique semper constans perstitit.

Quanquam vero a luxu, a superfluis, et pompa reliqua plurimum abhorreret: hospitalitatis tamen officia minime negligenda putauit; sed ante omnia impensius inculcauit suis, vt, quemadmodum ipsemet praeiuit ex-

emplo, pro suo quemque statu, et conditione beneuole exciperent, haberentque liberaliter.

Vti hospitibus, et peregrinis; ita maxime pauperibus, atque infirmis beneficum sese exhibuit. Neque in eos tantum largus erat, atque munificus, qui erant prope; sed alii etiam, qui distabant longius, positi trans alpes, in finibus Heluetiae, perceperunt a principe optimo effusae liberalitatis fructus cumulatissimos. Aeternum, quod statuit suae beneficentiae monumentum, illud est, quod terram incultam, magnis profusis sumptibus, a sentibus purgari, colique curauerit, et distribui inter egenos; vt haberent, vnde sibi pararent victum.

Neque solum alendis pauperibus; vitaeque corporali sustentandae inuigilauit cura boni principis: verum in id potiori incubuit studio, vt, quorum sollicitudo ad ipsum pertinuit, quantum ad animae salutem sarti essent, tectique. Ea propter pastoribus animarum, oratoribus sacris, scholarum moderatoribus, et catechetis grauibus verbis saepe inculcauit, vt non propalarent, nisi doctrinam sanam, exactamque ad normam euangelii; cauerentque sibi diligentius a nouitio probabilismi commento, quod est inuentum ad deprauandos mores, et incautorum decipiendos animos.

Vt doctrinis melioribus rectius consuleret, a scholis inferioribus orsus, *belletristicas* nu-

gas procul inde abesse iussit. Exercitationibus scholasticis ipse non dedignatus adesse, bene meritis decreuit praemia. Vtque latina lingua coleretur studiosius, eum in finem opuscula mandauit conscribi, grammaticorum vsibus accommodata magis, ac vtilioria. Neque in postrema felicitatis parte posuit, quod antequam fatis cederet, eadem perducta ad finem, atque excusa typis, vidisset.

Quantum impenderit laboris et studii, quotue impensas tulerit ad reliquarum laudatarum artium et scientiarum promouendum decus, satis loquitur, ac testatur bibliotheca diues, quam omnis generis probatis auctoribus, selectisque codicibus, auxit, aere non paruo coemptis. Declarat quoque principis *Mariani* rei litterariae ornandae, amplificandaeque studiosa voluntas, quod bonae frugis auctores typis *Einsidlensibus* recudendos curarit; vt boni libri impensis minoribus comparari facilius possent, atque in manus venire plurimorum. Huc spectat opus praestans theologicum *Natalis Alexandri* (theologia dogmatica, et moralis) diffusum in volumina decem. Quod quidem magnifice ligatum muneri mihi misit, in pignus amicitiae, quam nullis meis meritis, nullisque a me prouocatus officiis indulgentissimus princeps prior obtulit; continuauitque ad obitum vsque, prolixae voluntatis significationibus repetitis.

Anno 1777. conflictari coepit cum extrema aegritudine, quae protrahebatur in annos tres; quin vnquam vel leuiter conquestus fuerit, totum se relinquens diuinae voluntati. Paucis ante obitum diebus collegit, conscripsitque varios scripturae sacrae textus, quos sibi morienti praelegi vellet. Ecclesiae sacramentis, vt petiit, praemunitus animam creatori reddidit anno aetatis 56, cum principis, et abbatis munus obiisset annos 7. Ingenii monumenta edita typis, et inedita, quae reliquit, recensentur in *bibl. eccl. Frib. Vol. VI. fasc. I.*; vbi pariter enarrantur plenius, quae gesta *Mariani* principis attinent.

In exsequiis
Reuerendissimi, et Celsissimi
Principis S. R. I.
M a r i a n i M ü l l e r
Abbatis in sacra Eremo
apud Heluetos
planctus
genii Einsidlensis.

Siccine, iusta queror, pater optime, linquis eremum,
Sedem, quae fuerat semper amata tibi?
Siccine discedis, charosque, tuosque relinquis?
Hinc procul, hinc migras, nec rediturus abis.

Quae soboles luxit mortes vtriusque parentis:
Vt tua fata dolens lugeo, chare pater?
O tristis rerum facies! o tristis imago!
Tetrica, quae mentem nocte, dieque subit.
Quocunque aspicio, luctus sunt omnia plena;
Alpes, et latices, mutaque saxa, nemus.
Occubuit nostrae laus immortalis eremi,
Dux vitae, splendor, fama, columna, salus.
Heu iacet Heluetici celeberrima gloria Pindi:
Inclytus ille tuus praesul, Ereme, iacet.
Ille prius patriam iussus formare iuuentam,
Artibus et sanctis moribus expoliit.
Hoc duce, saluifici sacrosancta oracula Christi,
Templa sonauerunt; et sonuere scholae.
Principis, abbatis sublimes nactus honores,
Idem demissus mansit, vt ante fuit.
Certa salus miseris, et dulce leuamen egenis,
Largus opum, nummos, aruaque distribuit.
Pacis amans, lites fugit cane peius et angue,
Candidus enituit relligione, fide.
Respice, magne Deus, labefactas morte parentis
Res gregis orbati, praesidioque leua.
O vtinam praesul succedat praesuli adempto
Vel par, vel meritis proximus ille suis!
Audi, sancte pater, genii pia vota precantis
Exaudique humiles aure fauente preces.

⊖ 1785. 30. Sept.

FRANC. STEPHANVS RAVTENSTRAVCH

abbas Braunau. et director studii theolog.

Natus *Plattenii* in *Bohemia* anno 1734 die 26. Iulii, litteris humanioribus nauauit operam in *Pragensibus* scholis. Studiis inferioribus absolutis, imberbis adhuc iuuenis nomen dedit instituto monastico ordinis *S. Benedicti* in celeberrimo apud Bohemos *Braunauiensi* coenobio. Peracto anno tirocinii sacri, votisque solitis ligatus, *Pragae* in academia didicit ea, quae sunt iuris naturalis et gentium, nec non iuris publici: legum item ciuilium decreta audiit in eadem Musarum sede; vna cum theologicis varii generis disciplinis.

Quae didicit, suis tradere concellitis iussus, philosophiam docuit, ius pontificium, atque theologiam. Missis quidem Peripateticorum recentium commentis, qui *Aristotelem*, summum philosophum, non viderant vnquam, multo minus intellexerant, *Neutoni* Angli, *Wolfiique* Germani vestigia fideliter sibi premenda existimauit. In rebus autem theolo-

gicis *Habertum* ducem potissimum sibi selegit, a superuacuis scholasticorum subtilitatibus, et inanibus rixis satis purgatum. Tandem, quae iurisprudentiam ecclesiasticam attinent, nouam ratus est sibi ineundam esse viam; quam in rem conscripsit, ediditque in praelectionum suarum vsum *Institutionum iuris ecclesiastici Germaniae accommodatarum prolegomena.*

Quae hoc in opere proposuit, non probabantur ex aequo omnibus. Erant, qui, nescio quid monstri metuerent; aut somniarent dogmata ecclesiae noxia. Qui subolere sibi visi sunt venenum peruersae doctrinae, renuntiarunt *Viennae*, adduci in discrimen *Petri* nauiculam. Eodem profectus est *Rautenstrauchius*, vt se, suaque tueretur; felici quidem euentu. Rebus enim discussis, immunis culpa, censorum iudicio declaratus est; non vituperio; sed laude et praemio dignus. Quod quidem M. Theresia pro meritis decreuit, destinauitque *Pragam* numisma aureum, nomine Augustissimae, per archiepiscopum reduci offerendum; addito hoc monito, fore imperatrici longe iucundissimum: si iuris ecclesiastici partes reliquas, vt mente praeconceptas habet, absque cunctatione perficiat, typisque exscribi curet.

Anno 1773 vnanimi suffragio electus est abbas *Braunauiensis.* Eodem anno praeses,

et director constitutus est theologicae facultatis *Pragae;* vnaque cooptatus in collegium eorum, qui moderandis litterarum studiis, librorumque censurae praesunt. Circa idem fere tempus id ei muneris est demandatum, vt formam adornaret, aut conscriberet sciagraphiam, ad cuius exemplar emendandae essent disciplinae theologicae.

Elucubratum specimen vix miserat *Viennam;* eodem ipsemet est euocatus anno 1774, vt coram selectis iudicibus pensi elaborati redderet rationem, dictorumque causas proferret, et argumenta. Neque difficile ei fuit, tueri systema, quod proposuerat. Siquidem plane concordabat his, quae de eodem argumento rei litterariae arbitri, *Viennae* mandata litteris in medium adducebant.

Postquam igitur omne tulit punctum; iussus est exsequi, quae praeformauerat. *Pragam* quidem rediit tum philosophicas, tum theologicas scholas reformaturus in melius. *Viennam* reuersus, curas omnes, et cogitationes eodem conuertit, vt res theologica nouam, melioremque faciem indueret. Quod quidem eo maiori contentione efficere laborauit; quod munere directoris theologicae facultatis *Viennensis* haud ita pridem fuerit auctus.

Sunt etiam alii honorum tituli, quibus vir praestantissimus exornatus enituit. Erat

enim praepositus *Wallstadii* in *Silesia*, visitator monasteriorum *Benedictini* ordinis in *Silesia* et *Morauia:* regni *Bohemiae* praelatus, et caesareo-regius *consiliarius.*

Commendarunt eum ingenii, et eruditionis praestantia, recti de doctrinarum studiis sensus, iudicium sincerum, et subtile, morum sanctitas, et iustitia, qui nihil daret gratiae, odio nihil, neque cupiditati.

Me quidem aeternum sibi deuinctum habet, quod iniquas *Semleri* aduersus me criminationes apud aulam *Viennensem*, ea qua par est, fide, sagaciterque detexerit; accusatore maligno, vna cum causae malae patronis, falsi et iniuriarum conuictis; repositisque in numerum hostium christianae religionis; et *Socinianae* factioni addictis.

Mortalitatem expleuit *Rautenstrauchius* aetatis anno 51. correptus febri *Agriae* (*Erlau*) in Hungaria; quo, iussione regia, seminaria generalia theologorum lustratum iuerat. Quae meminimus de *Rautenstrauchio*, mutuati sumus pleraque a *Lucae* litterata *Austria.*

Monumenta ingenii, quae reliquit, annotarunt *De Luca*, *Meusel.*

EPITAPHIVM.

Boemia me genuit: coluit me celsa Vienna:
Defuncto tumulum Pannonis Erla dedit.
Dicebar Stephanus, iuncto cognomine Ruta,
Quae pellit morbos, herba salutifera,
Non tamen a febri, nec praecoce morte tueri
Me potuit: fuerat fortius arte malum.
Me tegit iste lapis; reparato corpore donec
Ad vitam redeam, ad iudiciumque vocer.

Diis Manibus
illustrissimi et amplissimi Viri
Franc. Stephani Rautenstrauch
Abbatis Braunauiensis
in Bohemia
Directoris rei theologicae
Viennae et Pragae
ab amicis oblatae
Inferiae.

Vt nostrum officium tua non desideret vmbra;
En, Stephane, inferias, donaque iusta damus.
Non tumulum nexis mens est ornare corollis,
Thurea nec tepido mittere dona rogo.
Non tibi caesa cadat nigro pecus atra capillo:
Nec riget innocuus torrida busta cruor.
Nec stat relliquias vino fragrante lauare:
Non lac, non oleum, donaue mellis erunt.

Non lubet ad pyram lethaeum ferre papauer;
Sed quae sunt donis his pretiosa magis.
Ecce damus lacrymas, sinceri signa doloris,
Et rorem, atque imbrem, qui cadit ex oculis.
Cum lacrymis ferimus vectigal debitum amoris,
Carmina, non artis; sed pietatis opus.
Carmina, quae mores pingant, pectusque loquantur,
Omni fraude vacans, candidiusque niue.
Carmina, quae referant docti monumenta laboris.
Ingenii foetus, mentis et artis opes.
Te schola sacra canit, fert et super aethera laudes
Ductoris studii, praesidiique sui.
Principibus charum te regia praedicat aula,
Consilio insignem, dexteritate, fide.
Hungariae laetas ires cum nuper ad oras,
Visere Pannonici rura beata soli,
Vota dabant superis comites, charique clientes.
Ne raperet clarum febris acuta virum.
At spreuere preces, crudelia numina, Parcae,
Irataque manu dissecuere colum.
Hic vbi felices Bromii fert Agria dotes,
Foecundosque agros fertilis Erla rigat:
Quem bene coepisti, cursum rupere; viaeque
Ac vitae finem fata tulere tibi.
Hospitis ossa sui tua tellus, Agria, condit;
Id decoris mallet celsa Vienna sibi:
Quid ni iure sibi clarum post funera ciuem
Vindicet, et repetat terra Bohema suum?

⊖ 1788. 2. Dec.

CHRISTIANVS FRID. POLZ.

professor theol. et philos. Ienae.

Niederrosilae in Thuringia genitus anno 1714. die 13. Ian., elegantiorum litterarum studiis cum laude absolutis, totum se philosophiae ac theologiae tradidit; in quibus disciplinis adeo profecit, vt idoneus, dignusque censeretur, qui easdem artes et scientias in *Ienensium* Athenaeo publice profiteretur; ob integritatem fidei, prudentiae laudem, ac eruditionis famam, adscitus a duce *Vinariensi*, et *Isenacensi* principe in eorum collegium, qui sunt a consiliis in rebus sacris.

Anno 1777 opus vulgauit de naturali theologia, sermone vernaculo, maluisset Latino; sed, vt in praefatione inquit, seruiendum tempori, quo euilescere Romana lingua coepit. Noua methodo in contexendo eo opere vsus est. Primum theologiae naturalis dogmata exhibet, perspicuo declarat, solideque probat. Post haec refert accurato studio, quae attinent historiam litterariam singulorum

dogmatum; quibus distinctum adiungit paragraphum, quo proponit aduersantium obiectiones, dissoluitque. Demum non reticet vsus practicos, atque documenta vtilia, quae ex doctrinis expositis manant in emendationem morum.

Per litteras a me auctor petiit, recensionem operis vt inferrem *bibliothecae eccl. Frib.* Lubens annui, idemque habui pro merito, commendans, vt par erat, tanquam opus bonae frugis, multifariae lectionis, et eruditionis, longique studii, ac tale, quod vigilatarum noctium lucernam oleat.

Rescripsit *Polzius*, gratae mentis persoluturus officium; indicauitque, per sibi gratum fuisse, nos benigne de se, suisque studiis sentire. Atque haec initia fuerunt, et ansa amicitiae inter nos contractae; quam quidem crebris, ac familiaribus litteris fouere, ac sustentare studuit.

Vt in amici sinum effunderet dolorem, leuamem inde aliquod sperans, frequens meminit contemptus, irrisionis, ac iniuriarum, queis ab indignis Musarum alumnis, qui Cyclopibus sunt haud absimiles, petulantius exceptus fuerit.

Id genus degeneres, atque illiberales artium liberalium cultores, aut profanatores potius, et Parnassi dedecora, irato Apolline nata, quorum animos titillat voluptas, deridendi,

contemnendi, aut calumniandi alios, monitos velimus, animo reputent dictum illud viri sapientis: Irridere bona nefas; mala crudelitas; media stultitia: aspernari bonos improbum; improbos saeuum; notos immanitas, ignotos dementia: calumniari magistratus, parentes, praeceptores, sacrilegum; denique hominem inhumanum.

Vixit annos aetatis 74. Praeter opus de theologia naturali, quod supra laudauimus, quas in lucem emiserit lucubrationes, indicat *Meuselius* in Germania erudita. *Lemg*. 1776. Illius effigies, insculpta aeri, praefigitur eiusdem theologiae naturali. *Ienae* anno 1777. in 4.

Post obitum

Virtute et eruditione clarissimi

D. Christiani Frid. Polzii

Professoris theologiae et philosophiae

Ienae

ex campis Elysiis

ad obtrectatores suos

epistola.

Ad vos Elysiis haec fertur epistola campis,
Praua cohors, famae semper iniqua meae!

An rabies eadem vos abripit, et furor idem,
Posteaquam e terris morte vocatus abii,
Elysii laetos felix translatus in hortos,
Depositis terrae corporis exuuiis?
Dentibus an vita functos discerpere pulchrum est,
Aut cineres rabido contaminasse pede?
Non pudet, Aoniis qui dant sua nomina Musis,
Barbaricis adeo moribus esse feros?
Vnde, precor, tanta est animis coelestibus ira,
Vt tanto in mystam mysta furore fremat?
Non sic tygris atrox in atrocem tygrida saeuit:
Nec socium fuluus sic petit ore leo.
Si non ista mouent: moueat lex optima Christi,
Quae nomen fratris dilacerasse vetat.
Talia quotquot agunt, fratres, famamque lacessunt,
Excludi Elysio pagina sacra docet.
Hos graue iudicium manet, his decretaque poena est,
Mors longa extremum non habitura diem.
Hos premet omne malum, quod tristis continet orcus
Lento cum igne gelu, pocula mista pice.
Heu quibus, et quantis laniabuntur tormentis!
Qui secum haec meminit: quis cito non rigeat?
Discite iustitiam moniti, et non temnere leges,
Quas tulit immotas illa suprema Themis.

⊙ 1790. 28. Aug.

WILHELMVS WILHELM

Canonicus reg. Creuzlingae
Professor theol. Frib.

Natale solum habuit *Mengam*, Sueuiae quondam Austriacae, nunc regni *Würtenbergici* oppidum; in lucem editus an. 1735 die 12. Iul., parentibus ortus honesti generis, et bonae famae ciuibus. Fundamenta Latinae linguae, et musices hausit a ludimagistro loci natalis. Ceteras disciplinas, quae ad humaniores litteras pertinent, didicit *Hoffae* ad lacum Acronianum a Benedictinis, *Rottwilae* a Iesuitis, et *Villingae* a *Minoritis conuentualibus.* Philosophiam autem est edoctus praeceptoribus Iesuitis *Augustae Vindelicorum.* Conqueritur, illa studia, quibus operam dedisset, non, vt par est, sed vt tempora ferebant, imperfecte fuisse tractata.

Emensus philosophiae curriculum, quanquam laboraret febri, *Creuzlingam* se contulit, collegium canonicorum regularium in *Thurgouia*, proxime *Constantiam.* Placuit

loci amoenitas, et canonicorum institutum. Petiit recipi in illorum consortium; et absque vlla tergiuersatione, sine mora obtinuit assensum. Exacto tempore tirocinii sacri, anno 1756 die 13. unii solemnium votorum vinculo se adstrinxit. Post studiis theologicis se dedit, praeceptoris domestici vsus magisterio; eo quidem, tamque felici successu, vt iuuenis theologi ingenium, sedulitatem, atque eruditionem, disputationibus publicis probatam, omnes mirarentur.

Confecto theologiae cursu, anno 1759 die 22. Dec. sacerdotio initiatus, paulo post constitutus est bibliothecarius, et professor, qui fratribus sui collegii seueriorum litterarum institutiones impertiret. Philosophiae curriculum docendo cum emetiretur, conscripsit, ediditque *Ichnographiam philosophiae Creuzlinganae Constantiae* anno 1764. Visus equidem sibi est tritae in scholis philosophiae placita quaedam impugnasse: a tuenda tamen magia non erat alienus, quanquam postea, mutata mente, aliter senserit. Addidit *Ichnographiae* suae *supplementorum* largam segetem, quae lucem non viderunt, neque videbunt vnquam; velut hoc de partu diuinauit auctor.

Conuersus ad tradendam suis concellitis theologiam, nouum confinxit, proposuitque systema; vt ostendunt *Parerga theologica*, vul-

gata *Constantiae.* 1768. Adnisus est, *Parergis* (vocabulo haud satis apto) numero ducentis complecti, quidquid refertur ad dogmata religionis. Contendit, commode reuocari omnia posse ad classes tres; trium videlicet virtutum theologicarum ordinem, fidei, spei, et charitatis. Fatetur, hisce parergis censorem episcopalem non pressisse vtrumque pollicem; neque sibi iam placere ea, quae adversus *Febronium* continent.

Eodem tempore scriptor indefessus luci exposuit *Authentiam veteris testamenti; argumentum demonstrationis criticae, contra pseudocriticos. Constantiae* 1768. 8. Quid id operis sibi velit, titulus abunde prodit. Censor episcopalis, nescio, quid monstrorum hoc in scripto veritus, ansam praebuit formidoloso abbati, dimouendi *Wilhelmum* a munere professorio.

Hinc abiit, abbatis iussu, ad curam animarum gerendam, primo in pago *Hirschlat*, apud Sueuos prope *Tetnang*; deinde haud procul ab oppido *Rottenburgensi* ad Nicrum in *Hirschauiensi* pago; vbi elaborauit *Theologiam physicam*, quae anno 1772. publici iuris facta est *Constantiae* in 8. Scopus est, ostendere ex rebus creatis creatorem, eiusque perfectiones. Optat, vt lingua vernacula opusculum esset conscriptum; quandoquidem plurium commodis posset deseruire.

Praeter spem omnem reuocatur *Creuzlingam;* eidemque demandatur munus oeconomi (Kastner). Id muneris multiplices ob causas cum non allubesceret *Wilhelmo;* per ipsi iucundum accidit, quod redire *Hirschauiam* post aliquot annos liceret; quanquam moleste ferret, quod onus sibi impositum haberet, curandi aedificium, quod erat *Wurmlingae*, vbi habitare parochus *Hirschauiensis* consueuerat, vel restaurandum, vel erigendum ex fundamentis.

Aedificii mole vix restituta, vocatur *Wilhelmus Friburgum.* Decreuerat an. 1774. *M. Theresia*, inuehere in scholas theologicas historiam litterariam theologiae, et patrologiam. Accersendus erat professor, qui *Friburgi* eas disciplinas traderet. Rei perficiendae negotium commisit senatus regius *Rieggero*, consiliario regio, et professori sacrorum canonum. Is me rogauit, quem huic spartae idoneum iudicarem. Respondi *Wilhelmum*, quem *Constantiae* cognouissem, virum ingenio, et editis lucubrationibus clarum. *Rieggerus* meis verbis acquiescens, a me poposcit, vt *Wilhelmo* indicarem, quae de se agerentur, et si vellet, absque cunctatione veniret. Qui de re litteris meis certior factus, mox viae se dedit, venitque *Friburgum* die 6. Dec. 1774.

Die 19. Dec. primam habuit lectionem; atque sic perrexit, tanquam professor extraordinarius; donec succederet confirmationis decretum an. 1775 die 4. Aprilis. *Wilhelmus* itaque, suscepto doctoratus theologici gradu, orationem suam inauguralem habuit de patrologiae vsu in disciplinis theologicis. Atqeu hac ratione repositus est in numerum professorum, qui ordinarii dicuntur. Vt opusculum haberet praelectionibus academicis accommodatum, inter primos fuit, qui *Friburgi* anno 1775. Patrologiam publicaret typis.

Anno 1776 abdicauit *Florianus Würth*, *Dominicanus*, munus docendi dogmaticam, quo *Friburgi* ad id vsque temporis erat perfunctus. *Wilhelmus*, quod negligentiores esse cerneret auditores in frequentandis patrologiae et historiae litterariae theologiae acroasibus, ambiuit dogmatices cathedram, et obtinuit. Vt erat facilis, et expeditus in elaborandis opusculis, quae auditorum usibus inseruirent; ita nouam cathedram nactus, nulla intercedente mora se accinxit, ad dogmaticae institutiones contexendas, quas an. 1779. in lucem emisit, hoc titulo: *Theologiae dogmaticae, noua methodo tradendae, pars prior; Friburgi*, in 8.

Wilhelmus ipse in sua biographia non dissimulat accusationes plurimas, quas censor

Viennensis (*Rautenstrauchius*) attulisset aduersus suam dogmaticam. Addit, se siluisse ad omnia; quod esset consultius, tacere; quam scripto apologetico irritare validiorem. Interea perrexit, profiteri dogmaticam vna cum patrologia: immo, post discessum *Pelzii*, tradendae pariter morum doctrinae dedit operam; donec, praeuio concursu, id muneris adiudicatum est clarissimo *Wankero*.

Anno 1789 introducta noua ratione studiorum theologicorum, cum restringeretur munus docendi dogmaticam ad professorem vnum: excidit professorio munere *Wilhelmus*; cuiusmodi muneri obeundo impar non minus effectus, morbo, quo anno 1788 laborare coepit, epileptico; qui vitae finem attulit viro probo, docto, industrio; cum esset aetatis anno 55.

Ingenii monumenta, quae edidit, pleraque recensuimus, praeter *biblia paraphrastica*; opus imperfectum. Ad inedita, quae reliquit msc. pertinent: *Historia litteraria theologiae* — *Theologia moralis delineata* — *Theologia biblica* — *Vita sui ipsius*; vnde, quae de *Wilhelmo* in medium protulimus, nostro instituto consentanea, excerpenda putauimus.

EPITAPHIVM.

Hic situs est, dictus duplicato nomine W i l h e l m:
Exposuit, sibi quid vox Theodisca velit.
Vt W i l h e l m u s ait, scuti designat amorem,
Quod gens dilexit Martia Teutonidum.
Ille autem coluit studio flagrante Camenas,
Et meruit castris, Pallas amica, tuis.
Quae sit euangelii pacis doctrina, fidesque,
Candidus in templis tradidit, atque scholis.
Donec decurso mortalis tempore vitae,
Transiit ad celsi regna beata poli.

Post obitum
Eximii Viri
pietate ac doctrina praestantis
W i l h e l m i W i l h e l m
Canonici regul. Creuzlingani
et theologiae professoris Frib.
Lectio posthuma.

Rursus vos video, mea gaudia, sacra corona,
Et magna Aonii lausque decusque chori.
Vos puto sollicitos, dubios, auidosque sciendi,
Quae iam sit ratio, conditioue mea.

Sit procul ex animis metus omnis: ne dubitetis:
Est mea sors felix, magnificusque status.
Ex quo deserui vestras, loca turbida, terras:
Tranquillam subii, pacificamque plagam.
Dicitur Elysium, multo laetissima sedes,
Quam diui manes, innocuique colunt.
Bella, fames, pestes, incendia, praelia, mortes,
Aut quod terrigenas territat omne malum,
Hinc procul est; sed regnat ibi sincera voluptas:
Et requies animi, paxque perennis adest.
Non patet huc aditus, quos atra labe notatos
Inuisos superis impia vita facit.
Nec datur hic illis locus vllus, qui tua, o Ari,
Siue tua, o Pelagi, dogmata falsa crepant.
Pestibus et reliquis Christo, dominoque, Deoque
Nequiter infestis haec loca clausa manent.
Vere si cupitis cum nobis esse beati,
Elysii aeternis deliciisque frui:
Sit labor, et studium, sit vobis sedula cura,
Antiquam Christi rite tenere fidem.
Absit, pro lubitu diuinae oracula legis
Sumere; sed veteres vt tenuere patres.
Credere non satis est: nisi iugiter et studeatis,
Vt fert lex Christi, moribus esse piis.
Talia Wilhelmi cum dixerat vmbra: recessit,
Elysii repetens aurea rura soli.

Θ 1792. 26. Mart.

GEORGIVS CAROLVS STARAVASNIG
professor medicinae Friburgi.

Editus est in lucem die 2. Apr. An. 1748. Habuit natale solum *Lithopolim* (*Stein*) collapsam ciuitatem in *Carniola* superiore. *Starauasnigii* nomen *Venedicae* (*Wendisch*) est originis, valetque Germanis idem ac *Neuhofer*; quemadmodum ipsemet explicuit. Excultus in scholis patriis eo studiorum genere, quibus iuuentus ad humanitatem informatur; perceptisque philosophiae praeceptis; ductu celebrium magistrorum perdiscendae arti medicae *Viennae* operam suam consecrauit.

In qua quidem disciplina quam amplexus est, eum in modum profecit, vt praeuiis tentaminibus praescriptis, communi approbatus calculo, inter saluberrimae artis doctores, donatus laurea, locum fuerit promeritus. Anno 1774 *Friburgum* euocatus, in scholis academicis medicae artis leges profiteri coepit; eamque apud omnes nominis, doctri-

naeque sibi conciliauit famam, vt in cognoscendis, curandisque morbis non alio vellent doctore vti.

Dissertationes varias emisit in lucem argumenti medici. In his, quae publicauit de *Monica Mutschleria*, etiam partes suas habebant theologi. Ferebatur mulier *Duningensis* prope *Rottwilam*, tunc S. R. I ciuitatem liberam, viuere absque omni cibo, et potu. Iussit *Rottwilanus* magistratus rem explorari, appositis custodibus. Coram iudicio testati sunt, diligentius se obseruasse mulierem: praescriptisque diebus, et noctibus continuis, nihil escae, nihilque potionis a *Monica* sumptum esse, omni asseueratione affirmarunt. Quod quidem testimonium auctoritate *Rottwilani* magistratus ratihabitum, tanti visum est plerisque, vt de inedia singulari non dubitarent.

Starauasnigius, vt erat natura paulo timidior, cum refragari vulgo docto, et indocto non auderet; nolens digladiari cum hydra septemplice, egit cum *Rottwilano* magistratu, eumque accedentibus academiae *Friburgensis* litteris, permouit, vt, quoniam de priorum testium, aut custodum fide merito dubitaretur, maiore cura, et oculo vigilantiore res omnis denuo exploraretur.

Initium habuit altera haec, atque exactior exploratio die 14. Dec. an. 1781. Con-

tinuauit muliercula tres dies contiguos, vna cum noctibus pertinax ieiunandi studium. At expugnauit tandem sitis atque fames simulandi consuetudinem; confessaque est deceptrix, nunquam se penitus ab omni cibo abstinuisse. Quae quidem fraudis confessio, et manifestatio veritatis, *Starauasnigio* nostro, qui praeciquus erat auctor custodiae accuratioris, honori ac merito cedit. Haec inuenire est explicatius relata, atque pluribus apud *Starauasnigium* in editis ea de re lucubrationibus *Friburgi* 1780 P. I. *Viennae* 1782. P. II. Pars vtraque praefert imaginem, incisam aeri, qua gestae fabulae repraesentatur actio.

Erat *Starauasnigius* charus vniuersis, ab integritate morum, pietate in Deum, et religionis cultu, candore animi, humanitate, et facili, parataque voluntate obsequendi omnibus, opisque ferendae studio diuitibus aeque ac egenis, summopere commendatus.

Anno aetatis 44; fato acerbo, ereptus nobis est vir de nostra *Albertina*, ac omni *Brisgouia* optime meritus; qui plura, et maiora, si superasset, nobis praestitisset. Contraxit anno 1792 pestilens virus, quo enectus est. Postquam exhalauit animam, cadauer nigrum colorem induit, vt Aethiopis referre speciem videretur: tanta vis erat lethiferi veneni. In eius funere communis erat omnium luctus,

et comploratio tanta, vt omnem *Hippocratis* artem vna cum ipso in eodem tumulo sepeliri putares.

Amici piae memoriae defuncto monumentum in coemeterio *Friburgensi* posuerunt, insculptum lapidi sepulchrali, qui exhibet *Starauasnigium* ad lectum aegro assistentem, affabre effigiatum cum hac inscriptione:

Hier ruhet der edle Mann, der volle achtzehn Jahr uns alles, Arzt, Freund, Rath, des Volkes Liebe war; der mit dem besten Kopf das beste Herz verband; im Wohlthun nur sein Glück, sein frühes Ende stand.

Dieses Denkmal setzten gute Freunde dem seligen Professor der Arzneykunde, *Georg Starauasnig*, aus Dankbarkeit.

Er ist gebohren zu *Stein* im Herzogthum *Crain* den zweyten April im Jahr 1748, starb den sechs vnd zwanzigsten Merz 1792.

In obitu
Viri ornatissimi
doctrina et virtute illustris
Georgii Caroli Starauasnig
rei medicae Doctoris et Professoris
Friburgi
Epicedion.

Quid sibi vult tristis sonitus, clangorque lugubris
Campanae? Cuius fata suprema sonant?

Quis periit? quisquam ex charis mundana reliquit?
Cui rupit uitae de tribus vna colum?
Fama volat, repetitque loquax, et crescit eundo,
Conspicuum meritis interiisse virum.
Communis tenues vox est audita per auras,
Insignem medicum succubuisse neci.
Ergo obiit medica Starauasnig clarus in arte,
Hippocrates patrii lausque decusque soli;
Qui herbarum vires, succorum norat et vsum,
Chironi suppar, nec minor Hippocrate.
Praecox ereptus nobis, aetate virente,
Dignus erat, longe viuere, et esse super.
Viuere doctus erat patriae; quippe arte medendi
Aegris cura, salus, praesidiumque fuit.
Promptus egenorum vilissima tecta subiuit,
Optatam miseris ferre paratus opem.
Sed quia tot praedas exemit faucibus orci;
Indignans tandem mors necat atra virum.
Omnibus acceptus, fuit officiosus in omnes;
Sed solis vitiis semper iniquus erat.
Scripsit de fictis ieiuniis, fraudibus, astu,
Et de miraclis, Monica Sueua, tuis.
Spargite, vos pueri flores; castaeque puellae
Nectite serta rosis Hippocrati patriae.
Plantate in tumulo violas, cum rore marino,
Lilia cum nardo, et semper olente thymo.
Et vos discipuli, Phoebi, Celsique nepotes,
Ad tumulum carmen scribite memnosynon:
Scribite: Heic situs est Starauasnig origine Carnus,
Summus Apollinea doctor in arte fuit.

☉ 1792. 2. Sept.

THEODORVS PERGER

professor theologiae Friburgi.

Ortus est *Graecii*, primaria ciuitate *Styrensis* ducatus, anno 1752 die 24. Ian. Patrem habuit *Graecensem* ciuem, vtili, ac reipublicae necessariae addictum arti, fabrum ferrarium, virum ingenuum, probum, ac priscae fidei. Iactis sub sedula parentum cura tum religionis tum litterarum primis fundamentis, traditus est gymnasio patrio, quod *Graecii* floret inde a temporibus remotissimis. Institutus elegantioris litteraturae studiis, cum iuuenis esset annorum quindecim *Dominicanae* familiae institutum amplexus est. Acto tirocinio, solemni votorum vinculo eidem sodalitio arctius adstrictus fuit anno 1768 die 24. Oct.

In schola domestica sui monasterii philosophicis, et theologicis disciplinis, septem annorum curriculo rite excultus, eum, tamque felicem in litteris praecipue sacratioribus progressum fecit, vt *Graecensium* theologorum

iudicio dignus censeretur, qui, praemissis tentaminibus praescriptis, in illo lyceo, quod tum temporis iuribus, ac priuilegiis studiorum vniuersitatis gaudebat, supremam ferret magisterii theologici lauream anno 1775.

Praetereundum non est, *Theodorum*, quod eidem singulari laudi ducitur, eo potissimum tempore, quo theologiae cursum peragebat, in id maxime toto incubuisse pectore, vt orientalium linguarum cognitionem penitius compertam sibi exploratamque faceret; non tam concellitarum prouocatus exemplis, neque excitatus cohortationibus aliorum; sed sua sponte animatus, adductusque rei ipsius vtilitate, neque territus vel difficultate negotii, neque a proposito reuocatus oblocutionibus eorum, quibus euilescebat id litterarum genus; quiue in sophisticis subtilitatibus, ac illitteratissimis litteris vnice sibi complacebant; nil pulchrum rati, nisi quod ipsi didicere.

Quae didicit, docere iussus in scholis domesticis tradidit concellitis suis, annos octo continuos varii generis disciplinas laudatas: philosophiam primum, dein theologiam moralem, historiae ecclesiasticae institutiones, iurisprudentiam sacram, vna cum linguarum orientalium elementis, ac tandem dogmaticam theologiam. Neminem fore reor, qui

quidem, si artium et scientiarum ambitum parumper nouerit, non valde admiretur, qui fieri potuerit, vt homo vnus, e schola vix dimissus, tradendis tot, tamque variis disciplinis, tum cognitu difficilibus, tum explicatu arduis, sufficeret.

Rei difficultate cognita, vt ne cogeretur vagari per omnia, vni dumtaxat, studiorum generi se addicere, in animum induxit. Accidit opportune, vt anno 1785 cathedra apud nos vacaret hermeneuticae sacrae noui testamenti. In litterario certamine eam in rem indicto (*concursum* vocant) superior ceteris, qui in arenam descenderant, munus explicandi canones hermeneuticos noui foederis, victor obtinuit, obiuitque. Annis duobus, *cursoriis* pariter, id est exegeticis praelectionibus, diuinae scripturae textus difficiliores, coelestium doctrinarum studiosis, dominicis diebus explanauit, magna cum laude, nec poenitendo auditorum fructu.

Vacillante erat valetudine, cuius, vt par erat, tuendae non satis erat studiosus. Inualescenti morbo succubuit aetatis anno 40. Scripta multa reliquit sua exarata manu. Supellectilem librariam, quam habuit, legauit bibliothecae academicae. In eius funere orationem habui; vnde haec excerpta sunt.

EPITAPHIVM.

Hic, Theodore, iaces, properata morte peremtꝰ:
Nec mortem leniit lingua diserta triplex.
Ante diem moreris; lustris vix octo peractis
Cessisti nostris, doctor amate, scholis.
Dux bone, liquisti viduam sine patre iuuentam,
Quae populi Isacidum grammata nosse cupit.
Ante diem moreris. Fallor; nam tempora vitae
Rite peregisti, quae statuere dii.
Quis dubitet, tacitis volui nos, nostraque fatis?
Quis nescit, fieri cuncta, sciente Deo?
Scit Deus annorum numerum, numerumq. dierum:
Cuiusuis vitae cognita meta Deo est.
Sic, Theodore, Deo tua fata sciente obiisti,
Terrarumque satur, percupidusque poli.

In funere
venerandi Viri
multiplici eruditione ornati
Theodori Perger
sacrarum litterarum professoris
Friburgi
Preces pro defunctis.

Metropolis Styriae nascenti praebuit ortum:
Denato tumulum Briscia terra parat;
Hic vbi Friburgum ter nobile, metropolisque,
Quod multis riuis Trisamis vnda secat.

Pergeri exuuias, quae seruat fictilis vrna,
Condimus in gremium, terra benigna, tuum.
Cum gemitu, et lacrymis pulsamus pectora palmis,
Voceque suprema vota, precesque damus.
Vota, precesque damus, non vt fert paganorum
Vsus, qui dicunt: Sit tibi terra leuis!
Christiades sapiunt longe meliora, docentque,
A viuis fieri vota, precesque Deo,
Vt vita functis parcat, poenasque remittat,
Soluere quas debent, iustitiaeque dare.
Nec doctrina recens haec est; sed Christicolarum
Consensus veterum fert, et auita fides.
Armenus, et Syrus, cum Coptis Aethiopesq.
Atque Arabes summo vota tulere Deo,
Atque preces pretiumque agni sine sanguine caesi,
Defunctis bonus vt propitiusque foret.
Sic vetus illa Dei verax ecclesia sensit;
Occiduum seu quae spectat Eoa polum.
Non aliter docuere patres, primique magistri,
Qui saluatoris dogmata pura ferunt.
Alme parens animam Theodori solue reatu
Quae nostris hodie est iussa migrare plagis;
Humana quas sors contraxit debilitate,
Terge, precor, maculas pro pietate tua:
Per Dominum nostrum Iesum Christum, sine fine
Omnia qui tecum secula regnat. Amen.
R. I. P.

⊖ 1793. 13. Maii.

MARTINVS GERBERTVS

abbas et princeps San-Blasianus.

Insigne litterarum, Germaniaeque decus, patria *Horbensis* ad *Nicrum*, antea *Austriacae*, nunc *Würtenbergicae* ditionis, S. R. I. princeps, et congregationis *S. Blasii* abbas dignissimus, tantum doctos inter Alemannos caput extulit, quantum, vt poeta canit, lenta solent inter viburna cupressi. Praestat equidem, velut viri sapientes monent, de viris summis tacere, quam pauca dicere: at huic monito vt obsequamur, imperare nobis haud possumus, memores suscepti instituti, legumque, quas ipsi nobis imposuimus. De principe itaque optimo malumus, nostro more, dicere pauca, quam penitus tacere.

Quodsi ad *Martini Gerberti*, qui in lucem editus est anno 1720 die 13. Aug., pueritiae atque adolescentiae annos redimus: intelligimus litterarum rudimenta, ingenuasque artes eum percepisse diuersis in gymnasiis, *Ehingae* nimirum apud Sueuos, *Fri-*

burgi in Brisgouia, et *Klingnauiae* Heluetiorum. In scholis demum *San-Blasianis* philosophicas atque theologicas disciplinas haud segniter didicit; anno 16. aetatis solemni votorum professione eidem congregationi adscriptus est. Vt in artibus, scientiisque frugiferis magis magisque se perficeret, graecorum latinorumque scriptoribus probatissimis perlegendis, perdiscendaeque hebraicae linguae plurimum studii ac laboris impendit; in arte quoque musica, cuius erat amantissimus, diligentius se exercuit.

Anno 1744 initiatus sacerdotio; admotus professorio muneri allaborauit ea, qua potuit, contentione animi, totoque pectore adnisus est, collapsa humanae, diuinaeque sapientiae erigere studia, eaque apud suos restituere dignitati pristinae. Vix est theologiae vniuersae pars aliqua, cuius institutiones non publicauerit; velut ostendunt *principia theologiae exegeticae*, *dogmaticae*, *symbolicae*, *mysticae*, *moralis*, *canonicae*, *sacramentalis*, *et liturgicae*, typis vulgata *San-Blasianis*. Hinc constat luculentius, quantum abhorruerit a scholasticorum gerris, et nugis difficilibus, quae in spem futurae obliuionis perdiscuntur.

Semotus a docendi munere, bibliothecae praefuit seque parauit ad peregrinationes litterarias, quarum desiderio et amore du-

dum tenebatur. Peragrata itaque *Italia*, *Gallia*, *Alemannia* ad suos reuersus, litterariis opibus ditior, iis maxime, quae veterem liturgiam *Alemannicam* attinent, atque musicam ecclesiasticam, studuit ea, quae collegit, digerere in rectum ordinem, et parare prelo.

Renuntiatus abbas an. 1764, de pristina viuendi consuetudine ne hilum abiit. Erat, vt ante, ab omni ſastu alienus, lenis, et vt tempus, locusque sinebat, hilaris, et iocosus, solitudinis amans, atque deditus amatis studiis; donec ſerale illud incendium anno 1768 eius cogitationes, et curas intenderet alio. Cogitandum tum erat patriſamilias de reparando damno, et templo reaedificando, de restaurandis ſratrum cellis, de bibliotheca, et aedificiis aliis, quae ignis absumpserat, suis e ruderibus denuo exstruendis. Atque haec omnia feliciter praestitit magnus *Gerbertus*, effecitque, qua erat, prudentia singulari, vt intra tempus non longum singula aedificia, quae erant aequata solo, surgerent e bustis longe magnificentius, ac erant prius. Testimonio sunt, remque luculentius confirmant rediuiuae suis e cineribus sumtuosae moles omnis generis; splendidissimum maxime templum, *Romano* aemulum, quod *Mariae Rotundae* nomine compellant.

Obrutus graui onere rerum gerendarum, sexcentisque curis distentus, aedificationis tem-

pore, vt ne fatisceret; sed refocillaret animum, ad optata studia, horis quasi furtiuis rediit; atque in eo secessu litterario, quo respirare sibi visus est, elaborauit, aut perpoliuit opera praestantissima. Eum in censum veniunt:

Taphographia principum Austriae; ceu supplementum quodpiam operis diplomatici, quod auctore *Marquardo Herrgott* luci datum est. Fol.

Codex epistolaris Rudolphi I. Romanorum regis; collato codice manu exarato augustae bibliothecae *Vindobonensis*, commentariis illustratus.

De cantu, et musica sacra, a prima ecclesiae aetate vsque ad praesens tempus. Volumina duo in 4.

Vetus liturgia Alemannica; disquisitionibus praeuiis, notis, et obseruationibus illustrata. Partes IV. in 4.

Historia siluae nigrae; ordinis S. Benedicti coloniae. Tomi III. Tomus tertius codex probationum est; complectiturque diplomata, quae huc faciunt.

Haec sunt immortalia ingenii monumenta, quibus princeps, Musis natus, res Germaniae humanas, diuinasque illustrauit. Versantur illa in manibus eruditorum, a quibus merito tanti fiunt, vt ex scriptorum numero neminem habeant, quem in hoc genere

anteponant. Nihil in colligendis, euoluendis, et diiudicandis veteribus chartis, quae ex illaetabili illa barbaria, tristique naufragio priorum temporum ad nostram vsque aetatem saluae peruenerunt, fieri potuit diligentius, et congerendo, et obseruando, quidquid ad res *Germaniae* illustrandas quoquo modo pertinet.

Paucos inuenies, qui huic curae aut possint, aut velint mancipare operam. Quotus enim quisque est, qui tantum adferat industriae et studii, vt illa venerandae antiquitatis monumenta inuestiget, proferatque in lucem, quae longo annorum decursu oblitterata iacuerunt in angulis, dimicaruntque cum tineis et blattis, obsita puluere, squalore, situ; tenebris, aeternaeque nocti condemnata.

Sed esto! Sit quispiam ingenii, animique acrimonia, vt par est, praeditus; sit laboris patiens, et solitudinis, studiorumque amans; quid proficiet, adminiculis externis destitutus si fuerit? Laborabit inuita Minerua, seque eruditis deridendum propinabit; quidquid in eo scribendi genere tentauerit; qui vsu priuatus fuerit selectorum codicum, diplomatum, ac monumentorum veterum; quae oppido rara sunt, recondita, et in manibus paucissimorum. Ex his coniiciet intelligentium quisque, quo in pretio sint habenda

illa magni *Gerberti* opera; ad quae quidem elaboranda vndequaque instructissimus accessit.

Quae ingrauescente aetate elucubrauit, ascetici potissimum argumenti sunt; velut *Solitudo sacra* an. 1787. *Ecclesia militans* an. 1789 et libellus *de sublimi in euangelio;* cui est immortuus; editusque ab eius successore an. 1793 atque dedicatus sociis *San - Blasianae* congregationis. Lucubrationes geminae *de ecclesia militante*, et *de sublimi in euangelio*, non tulerunt omne punctum. Qui auctorem excusant, asserunt, fuisse eum plus aequo timidum; cuiusmodi vitium senectutis fere proprium est, ac commune. Aiunt, formidasse eum schisma inter catholicos, eaque ratione intelligenda esse, et explicanda, quae ob ambiguitatem sermonis ab aliis alio trahuntur.

Sed quidquid de his sit; magis me mouit *Iansenisticarum controuersiarum retractatio*, quam anno 1791 recens e prelo egressam ad me muneri misit. Conspecto, lectoque opusculo subirascebar: et cogitaui apud me tacitus: Cui bono, hac aetate, id scriptionis genus? Re autem pensitata curatius, redii mecum, et cum illustrissimo auctore in gratiam. Solent nimirum oblectari senes iis studiis, quae habuerunt in deliciis et amore iuuenilibus annis, quaeue coluerunt in vita

praeterita. Constat autem, illas de gratiae diuinae adiutorio doctrinas, atque historiam de controuersiis illis illum potissimum hausisse ex *Tournelio* scriptore sublestae fidei. Rediuiuas igitur, quas olim imbibit, recudere ideas, et proferre in lucem, pulchrum putauit, et iucundum. Qua in re, si errauit, priuilegio errauit aetatis; et meretur veniam, quam damus, petimusque vicissim. Nemo enim absque omni hallucinatione vixit vnquam, aut scripsit. Neque, vbi plurima nitent in ceteris eximiis principis litterarii operibus, paucae aut tenues maculae, quas aut incuria fudit, aut non satis cauit natura humana, *Gerbertiani* nominis obfuscabunt gloriam; quae nulla est oblitteranda die.

De congregatione, cui praefuit, deque melioribus litteris optime meritus, et ob virtutis, doctrinaeque praestantiam honoratus vniuersis, et dilectus, vitam satis longaeuam vixit, firma iugiter valetudine vsus, quam tueri, et conseruare adnisus est prudentis diaetae vsu. Sensibus perseuerauit integris, ad mortem vsque, quam ei attulit pectoris inflammatio, et quae hinc nata est hydrops, aetatis anno 73.

Priusquam manum de tabula subtraham, officii mei flagitant rationes, vt de optimi principis in me meritis aliqua adnectam, quibus debitae in patronum obseruantiae, gratae,

memorisque mentis significationem praebeam, publiceque contester. Confitendum itaque est, et praedicandum palam, ex quo tempore summi viri humanitas accessum mihi ad suam amicitiam indulsit, nihil eum praetermisisse studii, ac fauoris ad me complectendum, ornandumque. Illustria plane sunt beneuolentiae singularis documenta, quibus prolixam in me voluntatem, nullo prouocatus officio, testificatus est. Muneri misit nobilissima ingenii monumenta, quae edidit. Vt meis commodaret studiis, inter libros alios, venerandae antiquitatis codices liturgicos, manu exaratos in pergameno, e principali bibliotheca mecum communicauit. Epistolis amoris beneuoli plenis me frequens salutauit; nominisque mei fecit mentionem honorificam in operibus, nunquam morituris, quae euulgauit; vt nihil addam de fauoribus prolixis, queis vel *Friburgi*, cum hic adesset, vel ad *S. Blasium* praesentem cumulauit. Nae ego ingratissimus essem mortalium, aut stupidissimus, indignus certe, qui a quoquam amaretur, si tot et tanta collata in me a summo viro beneficentiae munera, vel non agnoscerem, vel non praedicarem palam; vnde patroni optimi dotes eximiae clarius elucescunt.

Oratione funebri magno *Gerberto* nomine congregationis *San-Blasianae* parentauit *Ioannes Baptista Weiss*, eiusdem congregationis

sodalis. Inde hausit laudatissimi principis biographiam, quam vna cum eius imagine, aeri insculpta, intulit in suum Necrologium ad annum 1793 *Schlichtegrollius*, quem nos potissimum secuti sumus. Monumenta litteraria, quae reliquit, recensent *De Luca* in *Austria* litterata; et *Meuselius* in litterata *Germania.*

In exsequiis
Reuerendissimi ac Celsissimi Principis
S. R. I.
M a r t i n i G e r b e r t i
Abbatis monasterii principalis
et
Congregationis S. Blasii
ad
eiusdem congregationis sodales
Elegidion.

Luge sacra cohors, et pectora tundito palmis,
Quae colis Hercinium relligiosa nemus.
Ecce iacet, patrii celeberrima gloria P i n d i,
M a r t i n u s, vestri spesque decusque chori.
Salua salus hoc stante stetit; cadit hocque cadente:
Cum tam dilecto patre fit orba domus.
Maximus ingenio G e r b e r t u s; non minor arte:
Ingenio dubites; maior an arte sua.

Musica sacra docet, docet et nigra Silua, fuisse
Musicum et in primis, historicumque simul
Cetera Martini grauium monumenta laborum
Quae longa serie bibliotheca tenet,
Testantur multas, vigilataque tempora, noctes,
Atque datos studiis, sollicitosque dies.
Moribus integris, humanus, lenis in omnes,
Promptus et afflictis addere rebus opem,
Vera salutiferi confessus dogmata Christi,
Sincera coluit relligione Deum.
Rebus in aduersis idem, rebusque secundis
Perstitit, ac constans aequanimusque fuit.
Siue vbi perspiceret, funesta incendia sacram
Cum fratrum cellis corripuisse domum.
Aut de ruderibus cum vidit, deque ruinis
Magnifico cultu surgere tecta noua;
Siue ubi de bustis, fato meliore, renata,
Atque aucta est opibus bibliotheca nouis.
Saepe quidem lacrymas tersit, finemque modumque
Aut par successor vel mora longa tulit.
At quis succedet vel par, vel proximus? aut qui
Tantam iacturam nunc reparabit, vbi est?
Quisquis succedat, premere is vestigia magni
Gerberti studeat, si nequit assequier.
Sit memor is dicti: Haud omnis fert omnia tellus:
Sic nec Gerbertos singula secla ferunt.

☉ 1794. 1. April.

EVLOGIVS SCHNEIDER

suis fatis satis cognitus.

Magis scriptis suis, quam cuiusquam oratione illustris, prognatus in orientali *Francia Wipfeldae* prope *Wirceburgum*, anno 1756. die 20. Oct., communem habuit cum *Conrado Celte* patriam. Sacro baptismo cum ablueretur, dictus est *Ioannes Georgius*. Parentes habuit non locupletes; honesto tamen genere, qui opere manuum, praecipue cultura vinearum, vitam sustentabant.

Erat in puero ingenium felix, et mira docilitas. Quod cum animaduerteret *Valentinus Fahrmann*, canonicus regularis e collegio *Heydenfeldensi*, qui tum *Wipfeldae* morabatur, germanus frater proepiscopi *Wirceburgensis*, postea suo in collegio decanus; pueri, de quo bene sperare liceret, curam in se suscepit, eidemque fundamenta impertiuit latinae grammatices, eo quidem successu, vt breue intra tempus dignus haberetur contubernio studiosorum, qui in *hospitali Iulio*

Wirceburgi aluntur, atque a praeceptoribus optimis instituuntur iis artibus, quae referuntur ad humanitatis studia. Versabatur *Eulogius* in *Iulio* hoc musaeo annos tres, iungebatque, vt lege cautum est, domesticis excipiendis institutionibus praelectiones gymnasii publicas.

Quae fuerint leges praecipuae *Iulii* illius instituti, in quo enutritus, educatusque est *Eulogius*, paucis habe: Non recipiantur nisi e pauperrima iuuentute, bonae indolis, dociles, industrii, de quibus spes esset frugi melioris. Domicilio vno, mensa vna, vnoque vestimenti genere vtantur. Ei, qui praeest, suisque praeceptoribus districte pareant. Sint numero pauci. Vtut enim praestantes sint disciplinae leges; si contubernalium fuerit multitudo magna; vtumque arceas, aut separes, sermones communicant, consilia, vitia, sordes: et hinc lasciuiunt, degenerant, et minus compositi ex numeroso collegio plerumque egrediuntur, qui compositissimi ingressi fuerant; velut tristis experientia testatum facit.

Emenso studiorum curriculo, quae in gymnasticis scholis tradi solent, cum reliquis excessit *Eulogius* litterario illo conuictu, qui a *Iulio* nomen habet et originem. Meruerat inibi annos tres, inter commilitones suos facile princeps, nec vlla labe notatus. Illud

solum in instituto ceteroquin laudatissimo prudentibus viris displicuit, quod absolutis humanioribus studiis inde dimissi fuerint, sibique relicti; ac redditi liberiori aurae. Qua re factum est, vt desciscerent saepe in peius, qui excesserant optimi. Istud vero tristius, quod, annis succedentibus, litterarium hoc contubernium solutum fuerit, extinctumque.

Philosophicis disciplinis nauauit operam *Wirceburgi* in academia *Iulia*, vsus potissimum magisterio, celeberrimi illa aetate philosophi, viri meritissimi *Roeseri* coenobitae *Banzensis*, *Benedictini*.

Franciscanorum, qui austerioris obseruantiae dicuntur, amplexurus institutum, *Bambergae* in coenobio eiusdem ordinis vitae monasticae tirocinium posuit. Anno probationis elapso, votorum solemnem professionem cum emitteret; dixisse fertur nouitiorum magister, *Eulogium* fore suscepto ordini aut ornamento magno, aut magno opprobrio. Haec cum legerem; cogitaui apud me tacitus de eo diuinationum genere, quae edi solent post euentum.

Bambergae cum teneretur, misit ad me epistolam, in qua cognati nomine me appellat. Ego vero vti affirmare; ita negare id non ausim. Sum enim in genealogicis istiusmodi tabulis plane rudis atque peregrinus.

Adiunxit epistolae prolixum, nec incultum carmen, contextum sermone vernaculo, quo exponit vastitatem, quae tempestate illa illata est agris, oppidis, pagis; cum cataractis, et imbribus continuis, de coelo ruentibus, nouis in iugis montium excitatis aquarum, fontiumque venis, vltra modum intumuerunt flumina; de *Redantia* (*Rednitz*) amne potissimum loquitur poeta, et de *Moeno* flumine; quae littoribus egressa suis omnem late regionem inundarunt. Graphice rem describens, velut imitatus *Plinium*, disserentem de simili calamitate, inquit: Visa sunt diuitum apparatus, et grauis supellex: alibi instrumenta ruris: ibi boues, aratra, rectores: hic soluta et libera armenta: atque inter haec trunci arborum, aut villarum trabes, atque culmina, varie lateque fluitantia.

Emensus in *Bambergensi* coenobio studii theologici cursum, et Hebraicae litteraturae cognitione praeditus, superiorum iussu *Augustam Vindelicorum* abiit, suis concellitis sacratiores potissimum litteras traditurus. Horas, quas a docendi munere habebat vacuas, impendit homiliis *S. Ioannis Chrysostomi* in *Matthaeum* et *Ioannem* e Graeco Theodisce transferendis. Quam in rem sociam contulit operam Cl. *Wirceburgensium* professor *Federus*. Vt gustum historiae litterariae excitaret apud suos, subseciuis pariter horis ex lingua

Itala in vernaculam conuertit diarium *Romanum*, quod versatur in percensendis scriptis, quae referuntur ad religionem.

Quo tempore tenebatur *Augustae*, sacris etiam habendis concionibus se dicabat. Fatalis propemodum oratori nostro erat sermo, quem declamauit honoribus diuae *Catharinae* sacrata die anno 1785. Verba fecit de *tolerantia.* Affirmauit, inique egisse tyrannum, qui *Catharinam* cogere niteretur, desciscere a fide, et colere idola. Addidit, esse nefas, impellere ad amplectendam religionem vi, metu, terroribus, aliisue improbatis artibus. Intellectum cogi non posse; sed conuinci oportere idoneis argumentis. Neque esse e re sacra, aut religionis, religionem, vt tributum, imperare; idque Christi sanctissima instituta, et coelestium virorum, qui saluberrimam huius doctrinae maiestatem per orbem terrarum diffuderunt, exempla ferre. Huiusmodi quidem documenta, ex asse catholica, carpebant censores, siue maleuoli, siue imperiti, trahebantque ad *indifferentismum.* Hinc conclamatum est vndique aduersus *Eulogium*, vt *Augustae* satis tutus non esse sibi videretur.

Vmgelterus ecclesiae cathedralis *Augustanae* dignissimus Decanus *Eulogium*, ne lapidaretur, miseratus, iniuste vexatum duci commendauit *Würtembergico*, *Carolo*, qui anno

Staats-
Bibliothek
Bamberg

1786. in praeconum aulicorum numerum eum cooptauit. Placuit duci nouus ecclesiastes. Verum diuturnus non fuit principis fauor. Aegre tulit, monachum, qui recens cucullum exuit, disciplinae esse impatientem, atque obniti legibus optimis, quas ecclesiasticis aulae suae seruandas praescripsisset.

Opportune accepit *Eulogius* litteras ab amico, quibus spes fiebat, muneris professorii *Bonnae* obtinendi; quo haud grauate, nec cunctabundus demigrauit. *Bonnae* nouus hospes non ita fuit exceptus, veluti sperauerat. Aiunt, apud eminentissimum electorem, ob ea, quae praecessisent non bene gesta, male eum audiisse. Post multas demum amicorum preces, atque commendationes, cum optima quaeque polliceretur, annuit indulgentissimus *Maximilianus*, vt politioris litteraturae doctorem in *Bonnensibus* scholis ageret.

Quo ageretur spiritu, *Bonnae* apertius declarauit. Viuendi, scribendique licentia publicam sibi infamiam consciuit, qui moris, et sermonis pudici haud esset obseruantior. Famosi libelli, qui versabantur in manibus omnium, depinxerunt illum tanquam pestem, qui iuuentuti plurimum inferret noxae. Huc trahunt alii cantica erotica, semel iterumque ac tertio vulgata typis. Quid sit de catechismo, quem cum *Hedderici* qualicunque

approbatione anno 1790 in lucem emisit *Bonnae*, norunt eruditi; nec ignorat catholicorum quispiam, quibus satis non est, tenere ea, quae mores attinent; sed cognitu, credituque pariter esse necessaria, quae spectant fidem.

Erat in eo *Maximilianus* archidux, vt hominem noxium scholis, terrisque suis eiiceret; nisi sponte ac in tempore discessisset, desideratus ab *Argentinensibus*, commendatus potissimum a *Plessingio Argentorati* theologiae professore Lutherano; agente in primis, ac, quidquid id erat negotii, curante *Dieterico*, vrbis praefecto (*Maire*) *Argentinam* delatus, a *Brendelio* episcopo Vicarii generalis (*grand Vicaire*) munere, et dignitate ornatus fuit. Habebat itaque has sibi impositas officii partes, vt omnis generis pastoralia munia, nomine episcopi, obiret.

Multi multa meminere, quae ab eo, et cum eo acta fuerint *Argentinae*; vera, falsa, dubia: velut refert scriptor anonymus opusculi: *Eulogius Schneiders Schicksale in Frankreich.* Nos missis omnibus, illud solum attingimus, quod totius tragoediae, quam agebat in Galliis, fons erat, atque caput. Non arbitramur, nos falli: dum statuimus, originem omnis mali, quod in *Eulogii* caput recidit, esse repetendam a munere accusatoris publici, quod inconsulto acceptauit, et imprudentius obi-

uit. Hinc commune odium non *Argentinensium* solum, verum etiam totius *Alsatiae* aduersus ipsum exarsit, quod suos ciues atque colonos, parentes, filios, charosque sanguine iunctos neci traderet. Hinc illae accusationes contra accusatorem publicum (veraene fuerint, an falsae, hic non disquirimus) quasi ipsemet esset legum publicarum transgressor. Hinc condemnatus opprobriosae poenae, atque iussus, trium horarum spatio stare ad infamem *Guillotinae* machinam, publico omnibus spectaculo. Hinc denique abductus *Lutetiam Parisiorum*, detrususque in carcerem. (*abbatiam* vocant) Inde separatus a concaptiuis, abstractusque in carcerem alium *Force* dictum; quasi cum hostibus reipublicae collusisset: pronuntiata in eum capitis sententia, raptus ad *Guillotinam*, vitam finiit.

Praeterire hic non possum, ipsum sibi miserum, infamemque interitum, imprudentia sua accelerasse. Scripsit enim ad *Robespierrium* ex carcere epistolam, rogauitque, vt causa sua, quandoquidem innocens esset, cognosceretur. Qui si tacuisset, sui memoriam non excitasset apud tyrannum; qui paucis post diebus comprehensus est, et datus neci; omnibus, quicunque erant in vinculis, aut detenti carceribus, libertate donatis.

Me quidem non fugit, ab aliis aliter

rem enarrari; quanquam res in idem fere redeat. Volunt scriptum esse ab *Eulogio* in carcere libellum aduersus *Robespierrium* hoc titulo: *Aux hommes libres de tous les pays; et de tous les siecles.* De scripto certiorem factum *Robespierrium*, libellum suppressisse, separasse libelli auctorem a captiuis ceteris, ac paulo post, cognita vtcunque causa, sententiam capitis in eum dixisse.

Quod perhibet *Heymannus* in opusculo: *Revolutions Galleria*, de frequentata percussione pectoris; deque pronuntiatis verbis illis: *Mea culpa* etc. cum *Eulogius* in via esset ad locum supplicii; quandoquidem id ignorent *Eulogii* amici, qui tum *Parisiis* tenebantur, quosque ea de re percontati sumus, relinquimus in medio.

De vita et fatis *Eulogii* copiosius agunt scriptores anonymi opusculorum: *Eulogius Schneiders Leben vnd Schicksale im Vaterlande. Frankf.* 1792.

Eulogius Schneiders Schicksale in Frankreich. Strasburg. 1797.

Monumenta, quae edidit litteraria recenset *Meuselius* serie longa.

EPITAPHIVM.

Eulogii cineres ista sub mole quiescunt,
Qui, quantum vixit, non requietus erat.

Principio monachus, misso post pauca cucullo,
Diuini verbi praeco disertus erat.
Fastidita aula, rediens in castra Mineruae,
Edocuit pueros, Musica Bonna, tuos.
Mox vbi nota nouis placuit reuolutio Francis
Argentoratum non pede tardus iit;
Tradere Phoebaeae pubi sacra dogmata morum,
Et pastoralis quid sibi cura velit.
Officiis est perfunctus generalis, inde Vicarii,
Exhibuitque operam pontifici sociam.
Et super haec est factus publicus accusator,
Qui multos gladio, carnificique dedit.
In foueas donec caderet, misereque periret,
Quas imprudenter foderat ipse aliis.
Omnia nil prosunt: vbi abest prudentia rebus:
Nil iuuat ingenium: nil iuuat artis opus.

Memoriae
Viri ingenio clari
suisque fatis late cogniti
Eulogii Schneider
professoris publici Bonae, et Argentinae
cum Conrado Celte
in campis Elysiis
Dialogus.

Celt. Quis nouus hic hospes se nostris ingerit oris?
Aduena quisue nouus limina nostra subit?

Salue sis, frater, dextram coniungito dextrae,
Aeternum nostris associande choris!
Dic mihi, quae vitae fuerint tibi gesta prioris,
Qua sis arte potens, quaue satus patria.

Eul. Francia me genuit, quae coelum spectat Eoum:
Haud procul Herbipoli lux mihi prima data est.
Ingenium patriae mihi perpoliere Camoenae:
Restinxitque sacro fonte Thalia sitim.
Imberbis iuuenis Francisci triste cucullum
Indui; at Aonio fidus amore Deo.
Exutus monachum, Caroli poscebar in aulam,
Stuttgardae sacrum pascere praeco gregem.
Hinc Bonnam adscitus, meliores traderem vt artes,
Erudii iuuenes, Maxmiliane tuos.
Exagitatus ibi, laceratus milleque probris,
Hinc fugere, atque solum vertere constitui.
Argentoratum, portum ratus esse salutis,
Laetus ego, ac sperans optima quaeque, abii.
At miseras hominum mentes! spes vana fefellit:
Sumque imum praeceps hinc datus in barathrum.
O vtinam fugissem aliena negotia cautus,
Vt Gregorus Graeco carmine rite monet.
Accusatoris munus malesanus obiui:
Hinc rediit in iugulum sica parata meum.

Celt. Cetera perge, velim, tibi quae euenere, referre,
Auditorque lubens, et studiosus ero.

Eul. Argentorati postquam spectacla dedissem
Publicus opprobrii, ludibriique scopus:
Francidis infelix primam delatus in vrbem,
Praeparor inferiis proxima pompa meis.

Hic agit, hic regnat, saeuitque, furitque tyrannus,
Quo monstro nullum saeuius orbis habet:
Occidit, mactat, necat insatiabile monstrum,
Cui cruor humanus funditur instar aquae.
Haec tygris innocui vitamque, caputque petiuit:
Et, cum non esset, finxit atrox facinus:
Quod dolo agens, adiurim hostes; sententia fertur,
Lictor vt a trunco separet ense caput.
Machinam ad atram raptus (Guillotina vocatur)
Orabam, tunso pectore, summe Deus,
Culpa mea est, mea culpa est: est mea maxima culpa:
Parce, precor, famulo supplice corde tuo.
Audiit omnipotens facilis pia vota, precesque,
Me iungens vestris post mea fata choris.
Nunc demum videor mihi viuere, morte volutus;
Dum veni in vestrum suaue sodalitium.

Celt. Suaue sodatitium dicis: bene dicis, amice:
Vsu quod posthac experiere magis.
Hoc sunt in coetu proceres, regesque, ducesque
Et patriae patres, nomina digna coli.
Hunc numerum auxisti nuper, cum coniuge coniunx,
Et cum regina, rex Ludouice, tua.
Hic vna conspicies heroas Marte potentes,
Artibus insignes, eximiosque viros,
Rhetoras, historicos, diuinos atque poetas,
Cum medicis physicos, et genus omne sophûm.
Doctorum quotquot vel tempora lapsa tulere:
Quosve recens aetas, posteriorque tulit.
Quales protulerit vel natio quaeque per orbem,
Iam poteris facie, colloquioque frui.

Eul. Has vmbras inter, coetus interque bonorum,
Viuere quam felix, quamque beata quies!

Has animas inter, manes interque beatos,
An quoque Celtis agit tempora laeta meus?
Primus is Aonides patrias deduxit in oras,
Et docto docuit Teutonas ore loqui:
Est mihi coniunctus patriae communis amore,
Inque meis studiis lux mihi, duxque bonus.

Celt. Ipse ego sum Celtis, dulcis quem quœris amice,
Celtis ego dudum haec aurea rura colo.
Multa quidem, frater charissime, scire laboro;
In terris patriis quid studiosa cohors
Suscipiat, faciatque operum, aspirante Minerua:
Quis scribat vitam, Maxmiliane, tuam
Mens mihi fixa fuit, tua carmine gesta referre,
Gesta Maroneo carmine digna cani.
Qui Musas inopes, dispersas, atque vagantes
Collegit, iuuitque aere, fauore, lare.
Scire velim, patrii quid agantque, struantq. poetae,
Quiue sonant Latiis, Argolicisque modis.
An meminere mei? Cur Celtica vita tot annos
Nequidquam premitur, proxime vt edoceas,
Te precor. Indictam ad Synodum monet hora venire.
Si lubet; haud pigeat. Me comitare. Veni.

⊖ 1794. 1. Nou.

MICHAEL IGNATIVS SCHMIDT

Historiae Germanorum scriptor celeberrimus.

Gente *Francus*, natus anno 1736. *Arnstenii* in ditione *Wirceburgensi*, exili oppido, quod ab ortu *Schmidtii* nominis claritatem obtinuit. Patrem habuit eius loci praefectum (*cellarium* vocant) Primos pueritiae annos exegit sub cura parentis, qui et ipse litteras amabat. Haustis in schola natalis soli religionis, et linguae latinae elementis, missus est *Herbipolim*, vt elegantioris litteraturae artibus, atque philosophicis disciplinis imbueretur. De futuro vitae eligendo statu deliberatione serio facta, ecclesiastico ordini nomen dare constituit: cui instituto vt par, idoneusque efficeretur, in diuinae sapientiae studia rite perdiscenda omni contentione incubuit. Receptus in clericorum seminarium, et initiatus sacerdotio, pastoralem curam aliquamdiu obiuit *Hassfurti*. Post, episcopi annutu, moderatorem egit no-

bilis cuiusdam, adolescentis *de Rottenhahn.* Quam quidem spartam ea fide, sedulitate, studioque administrauit, vt rei fama, ad aures principis perlata, dignissimus haberetur, qui nobilium epheborum moderando contubernio praeesset. Ingenii, animique dotes, quibus erat ornatus *Schmidtius*, cum propius cognouisset *Frid. Adamus Seinshemius*, Bibliothecae academicae eum praefecit; atque iussit esse a consiliis ecclesiasticis.

Circa idem fere tempus agebatur de noua cathedra inducenda in athenaeum *Wirceburgense.* Deerat ad id vsque temporis, qui historiam traderet imperii Germanici. Nemo ad nouum capessendum munus eruditorum consensu visus est aptior *Schmidtio.* Neque fefellit spem, et expectationem de se conceptam. Ex quo munus docendi publicum adiit, primum ingenii specimen edidit, inscriptum: *Methodus catechizandi;* quod, agente potissimum *Felbingero*, Theodisce translatum est ob sui praestantiam, vt vsui esset, atque commodis plurimorum. Adiuncta huic operi *historia catechetica*, ostendit auctor, praecipuas veri historici dotes apprime perceptas se habere, et partes exsequi ea, qua par est, fide. Quam postmodum vulgauit *historiam Germanorum*, omnem exspectationem superauit.

Quis est, qui non miretur, scriptorem, qui academias exteras nunquam adierat; qui dis-

cendi causa non lustrauit regiones longe dissitas; neque commercium habuit cum eruditis alienigenis, a quorum pependisset ore, vt cogitata noua imbiberet, iisdemque surreptis gloriaretur, vt *Aesopica* cornix; sed suopte ingenio, Marte proprio, ac sine duce molitum esse, ac confecisse feliciter tam opus praestans, atque magnificum? Tantum abest, vt nouus noster *Tacitus*, qui solo patrio nunquam pedem extulit, glebae affixus patriae, solitudinis amans, domesticosque intra parietes conclusus, indulgensque suis meditationibus de *Germanorum* historia, noua methodo adornanda, proferendaque in lucem, aliena pro suis obtruderet.

Excussis itaque praeiudicatis opinionibus, positoque partium studio (quo vitio nullum est nocentius fidei historicae) curas omnes et cogitationes eo conuertit, vt veritate, quam sequeretur, prae oculis habita, historiam nobis redderet *Germanorum*, suo nomine, ac fide dignam, melioremque iis, quaecunque in eo scribendi genere praecesserant. Vt ne in errores incideret, in quos prolapsi sunt, qui in tractando hoc argumento praeiuerunt; nouam sibi viam ineundam putauit; atque in id incubuit toto pectore, vt missis superfluis, offerret nostris popularibus necessaria cognitu de Germanorum religione, et ecclesiarum Germanicarum originibus, iuribus, priuilegiis, liber-

tatibus, atque de nexu tam inter se, quam cum ecclesiis aliis: de obseruata apud Germanos in iure dicendo forma: de populi moribus, eruditione, negotiatione, et commercio cum nationibus aliis; cultura agrorum; et quae sunt id genus alia. Demum nihil prius habuit aut potius, quam vt, quae enarrauit, confirmaret singula idoneis ac solidis monumentis.

Vix e scriptoribus, quos tulit recentior aetas, est aut erat quispiam, qui tam effusis exciperetur laudum encomiis, ac noster annalium Germanicorum auctor. Praedicabant ingenium felix, iudicium subtile, ac fidem integram. Suspiciebant animum praeiudicatis opinionibus vacuum, et abhorrentem a fabulosis, spuriisque commentis, et narratiunculis dubiis, suspectisue. Mirifice autem celebarunt virum indagandae, referendaeque veritatis studiosissimum. Neque minus erant diserti in commendanda methodo, quam sibi sequendam statuit. Tandem non habuerunt, quod improbarent in stylo. Fatebantur, esse facilem, dilucidum, amoenum et iucundum, aspersis hic ibi innocuis salibus. Atque haec communia fuere siue catholicorum, siue protestantium de nouo Tacito, nullo fere dissentiente, iudicia.

At vbi ventum est ad ea tempora, quibus seculo XVI. turbare Germaniam coeperunt religionis dissidia: subito scissis sententiis abie-

runt in partes, qui laudauerant; catholici quidem a laudando non destiterunt; sed suo in proposito immoti, persuasissimum sibi habuere, vera esse, quae eam in rem vir laudatissimus protulit; quippe innixa tabulis certis, et indubitatae fidei documentis. At protestantibus aliter visum est. Hi, quibus non allubuit *Schmidtiana* relatio, amore verso in odium, non dubitarunt accusare scriptorem ingenuum studii partium; et quem antea laudibus ad sydera tulerant, deiicere humi ausi sunt, et proletariis scriptoribus parem ponere.

Sed desino, his plura addere, memor me necrologium scribere; non apologiam; qua vir summus non indiget: quoniam veritas sibi sufficit; quantumcunque obluctentur, qui renuunt. Aliud vero est, quod antequam finiam, dissimulare non possum, indefessum videlicet studium, et industriam incredibilem, quam in colligendis veterum monumentis collocauit laboriosissimus auctor. Vt leuaretur in Herculeo opere, optaui saepius, vt superessent *Plinii* maioris *bellorum Germaniae XX. Libri*, quos *Plinius* iunior Libro III. ep. V. ad *Macrum* recensens scribit, a suo auunculo relictos esse *Bellorum Germaniae Libros XX., quibus omnia, quae cum Germanis gessimus, bella collegit. Inchoauit, cum in Germania militaret.* Quantum luminis, si suppeterent hi libri, aut ad nos peruenissent, conferre pos-

sent ad notitiam veteris Germaniae! Prouocans ad eosdem libros *Tacitus* Annalium Lib. I. cap. 69. iuquit: *Tradit Plinius Germanicorum bellorum scriptor, stetisse etc.*

Denique magnopere dolendum est, nouissimum aeque ac operosissimum Germaniae nostrae scriptorem, antequam pensum sibi impositum absoluerat, operi esse immortuum morte praematura. Cessit enim fatis, cum ageret aetatis annum 58. Vt *Milbillerus*, qui telam operis praestantissimi pertexendam sibi sumsit, pari fide, parique studio, quae reliqua sunt, reddat, peroptant omnes historiae patriae cultores.

Quae vel incuria humana, vel lapsu memoriae supra praeterieram, priusquam finiam, paucis adiungimus. Ac primum quidem reticere non debueram, quod *Schmidtio* molestum accidit; librariis autem turpe est, et indecorum, frustra pulsatis variorum bibliopolarum foribus, neminem fuisse inuentum, cui nouum opus excudere suis sumptibus allubesceret; dum malunt *Romanenses* fabulas, leues comoedias, et eroticos libellos, qui morum puritati nocumenta adferunt, exponere luci. Annuit tandem *Stettinius Vlmensis.* Nec inauspicato res successit. Vt enim volumen primum praelo prodiit; percrebrescente fama, et propagata latius per ora eruditorum, noui operis auctor

in coelum ferebatur magnificis laudum encomiis. Neque magni principes in colendo, ornandoque *Schmidtio* passi sunt deesse partes suas. Certe *Maria Theresia* adeo delectata est noua Germanorum hac historia, vt nullum fere diem praetermiserit, quo non audiisset, inde recitari quaedam capitula. Eandem lectionem sapientissima imperatrix commendauit filiabus, reginis *Galliarum*, et *Neapolitanae*, atque *Hetruriae* magno duci, archiduci *Leopoldo*, iisdemque *Schmidtianum* opus muneri misit.

Non contenta imperatrix, commendasse opus, operis etiam auctorem nosse propius, et penes se habere peroptauit. Luculentis conditionibus *Schmidtium* vocauit *Viennam*: constituit palatini tabularii praefectum, in numero aulicorum consiliariorum esse iussit, et assidere collegio eorum, quibus cura est censura librorum. *Iosephus* denique, matre augustissima non inferior, nihilque illi cedens in aestimandis praeclaris dotibus nostri *Taciti*; illum in primis idoneum iudicauit, cui *Franciscum*, futurum *Austriae* moderatorem rebus historicis instituendum committeret.

Quae in medium adduximus, delibauimus pleraque ex *Christiani Boenickii*, professoris *Wirceburgensis*, et *Schmidtii* nostri in tradenda historia successoris *sciagraphia etc.* Grundriss einer Geschichte von der Vniuersität Wirzburg. Th. II. pag. 210. seq. Wirzb. 1788. 4.

Imago *M. Schmidtii* non semel est ab artificibus picta, sculptaue. Duas id genus imagines a diuersis effigiatas memorat *Meuselius* in Germania litterata. Mihi in promptu est imago tertia, quam pinxit *Vrlaub;* et aeri incidit *Gmelin.* Ingenii foetus, quos reliquit, enumerat *Meusel* l. c.

EPITAPHIVM.

Michael hic recubat, Latio cognomine dictus
Fabricius, terris Francigenumq. satus:
Vitiferos colles vbi vestit pampinus vmbra;
Moenus vbi liquidis arua pererrat aquis.
Defuncto fatis dedit alma Vienna sepulchrum;
At nequiit famam contumulare viri.
Historis ingenio, studio, candore, fideque
Quem potis est aetas ponere nostra parem?
Inter scriptores Germanae gloria gentis,
Promeruit palmam, praeripuitque sibi.
At neque neglexit, palmam pietate referre,
Quae nos in coelis, nobiliorque manet.
Huc studia, huc curæ, huc votaq. nostra ferantur.
Sit tibi, quidquid agas, altera vita scopus.

In obitu
Viri celeberrimi
Michaelis Ignatii Schmidtii
Professoris historiarum
Wirceburgi
Post palatini tabularii directoris
Viennae
grata recordatio.

Inter Francigenas, populares inter amicos,
Vix mihi Fabricio charior vllus erat.
Ingenio, virtute pari, parilique nitore
Doctrinae, Pindo splenduit in patrio;
Qui Tacito melius nostrorum narrat auorum
Gesta: docet melius nos monumenta patrum:
Qui fuerat doctae decus immortale caternae,
Laus academiae, Francice Moene, tuae.
Late inclarescens ciuis, tibi, Francis, ademptus,
In ius transiuit, clara Vienna, tuum.
Principibus charus, studioque fideque probatus,
Decessit terris, nec rediturus abit.
Non redit in patriam ciuis lectissimus: astra
Mens petiit; et carnem terra aliena tegit.
Obscuram magnae matris descendit in aluum:
Restet vt e tanto nil, nisi fama, viro.
Fama viri superest: quae liquit, scripta manebunt,
Scripta vel a sero digna nepote legi.
Quisquis amas patriam, Germanide natus in ora:
Fabri opus assidua volue, reuolue manu.
Turpe tuos atauos foret ignorare. Quid ad te
Cyrus, Alexander, Scipio quidue gerant?
Arminius tuus est popularis, Martius heros,
Qui patria repulit triste, ferumque iugum.

Nosse iuuat, gentis Germanae quae sit origo,
Qui mores fuerint militiae, atque domi.
Nosse iuuat leges, et auorum fortia facta,
Quaeue fides fuerit, relligioque sacra;
Et reputa, quamtum nunc sit mutata vetustas:
Nunc aliae leges, nunc aliique viri.
Tot populos vtinam felix concordia iungat;
Quod Germanorum nomen et omen habet.
Quam suaue est fratres habitare, et viuere in vnum,
Ad Sacram Dauid quod canit ore lyram!
Quos fraterna ligat felix concordia, quales
Et quantos fructus vtilitatis habet!
Vt facit ex paruis magnas concordia rebus;
Sic vbi pax procul est: quaeque stetere, cadent.

Θ 1795. die 14. Febr.

FRANC. LVDOVICVS L. B. DE ERTHAL.

episcopus et princeps Bamb. et Wirc.

Paucos est reperire, vere dico paucissimos, quos natura melior, rectius dixerim, Deus optimus iis instruxit animi dotibus, vt a via regia, bene beateque viuendi non discedant in auia, sortiti, velut habet diuinus codex, animam bonam, vt inde a primis pueritiae annis ad extremum vsque halitum perseuerante constantia ea perficiant, quae dictamini sanae ra-

tionis, diuinaeque legis praescripto conformia sunt. Pusillo huic beatorum hominum coetui merito annumerandus venit, quem impraesentiarum exhibituri sumus, vir summus, et exemplum diebus nostris, vt solemus loqui, sine exemplo.

Est is *Franciscus Ludouicus Erthalius*, nobili et perantiquo genere natus *Lohrae*, *Franciae* orientalis oppido, ditionis *Moguntinae*, in lucem editus anno 1730. die 16. sept., parentibus virtutis, et auitae nobilitatis laude clarissimis, *Philippo Christophoro Erthalio*, et *Maria Eua Bettendorfia*. Diligenti parentum cura omnibus doctrinis eruditus, quibus iuuenilis aetas solet informari, ingenii, animique dotibus, quibus enituit, et sedulitate singulari in colendis bonarum artium studiis praemonstrauit adolescens, ad maiora natus, quis, quantusque olim futurus esset. Eam ex studio litterarum iucunditatem ac suauitatem percepit, vt nec quies, nec remissio animi, neque, vt fit in adolescentia, lusus, aut illecebrae aliae retardare eum potuerint, quo minus duodenas singulis diebus horas, quam legem ipse sibi praescripserat, amoenissimae, liberalissimaeque studiorum occupationi tribueret. Sed in primis ita cupiditate discendi flagrauit: cum a disciplinis elegantioribus ad seueriores transiit, philosophiae scilicet, ac legum studia, quae,

qua erat ingenii docilitate, celeriter arripuit in claris Germaniae scholis eruditus.

Vt discendi ardorem plenius restingueret, academias exteras lustrare constituit. Visit itaque *Italiam*, foecundam illam cultissimorum ingeniorum matrem. Cognouit, coluitque viros doctrina celebres, amicitias nexuit, seque cum illis coniunxit. Quae *Romanae* curiae sint studia, artes, sedulo inuestigauit. *Roma* redux in patriam, *Wirceburgi* potissimum ex ore praeclarissimi *Barthelii* in praelectionibus publicis, priuatisque colloquiis hausit, quae ad solidiora iuris ecclesiastici fundamenta pertinent. Cuius quidem magisterio profecit adeo, vt eius disciplinae exhibens specimen in publicis disputationibus, et eruditis omnibus admirationi esset, et ingenii, doctrinaeque laudes ferret cumulatissimas, applaudente *Barthelio*, qui, cum aliquando rogaretur, quemnam ex suis auditoribus dignum, idoneumque reputaret, qui sibi in munere docendi succederet, nil cunctatus respondisse fertur, neminem alium, nisi *Franc. Lud. Erthalium;* si modo id genus spartam adire allubesceret ecclesiae cathedralis canonico.

Scholis vix egresso mandatum est politici regiminis *praesidium*. Paulo post munere legati functus est, qui nomine episcopi confirmationem in feudis obtineret. Quam quidem legationem ita obiit, vt *Iosephi* imperatoris iniret gratiam, atque ornaretur dignitate con-

siliariorum, qui caesari sunt, et dicuntur *intimi*.

Non contentus imperator, impertiisse honorum titulos, munera etiam ipsi commisit momenti longe grauissimi. Constitutus namque est imperatoria potestate *visitator camerae imperialis Wezlariae;* et postea caesarei *Concommissarii* partes eidem sunt demandatae in *Ratisbonensibus* comitiis. Qua animi, fideique integritate, quo incorruptae mentis, ac iustitiae studio, quaue prudentia curarit officia sibi demandata, negotiaue, loquuntur nostrorum temporum annales, declarat *Iosephi* caesaris, et principum imperii fauor, quo sunt prosecuti *Franc. Ludouicum;* testantur atque praedicant omnes boni.

Anno 1779. vita functo *Adamo Friderico de Seinsheim* episcopo et principi *Bambergensi* et *Wirceburgensi* successit *Franciscus Ludovicus de Erthal*, electus vnanimi suffragio *Wirceburgi* die 18. Martii dicto anno, et *Bambergae* anno eodem Aprilis die 14; cum adhuc esset diaconus. Initiatus sacerdotio, inauguratus est episcopus *Bambergae* a germano fratre suo, electore et archiepiscopo *Moguntino Emerico Iosepho* die 19. Sept. supra dicti. anni.

Sublimi in fastigio positus, pastor dominici gregis, atque dux populi, vt ne vacillaret in rebus agendis, certas sequendas regulas (*maximas* vocant) collegit, sibique praescripsit. Has

inter praecipuae fere sunt: *Populus non est propter principem; sed princeps propter populum. Fulcrum rei publicae est religio; vnde populorum manat salus. Ad religionem pertinet, non tantum agere; verum etiam credere. Episcopum oportet esse* (quid ni et principem?) *omnia in omnibus;* siquidem necesse sit, vt sit *patriae pater.*

His innixus principiis, populos ditioni suae subiectos vt fortunatos efficeret, et quibuscunque modis posset, commodaret vniuersis, nihil potius, priusque habuit, quam eradicare consuetudines inolitas, quae transuersos agunt ciuium animos in damnum reipublicae, et expugnare noxias vulgi opiniones, et abusus, quibus felicitati publicae bellum indicitur. At in eo emendandi, reformandique negotio, lento processit gradu; dictumque illud: *Festina lente,* inter sua apophthegmata, quae iugiter haberet prae oculis, numerauit. Est equidem hoc axioma ex eorum numero, quae per contrarietatem efferuntur; at verissimum, certissimumque; modo recte itelligatur; nulli quidem mortalium non maximo vsui futurum, praecipue tamen principibus, quibus populi commissi sunt. Vix enim verbis exprimas, quas tempestates nonnumquam excitet, quantas rerum humanarum ruinas secum trahat; siquid forte sit praetermissum socordia, vel admissum temere, imprudenter, haud satis praemeditatum.

Cura rerum diuinarum, pietatis, sacrorumque, nulla superstitionis labe pollutorum, nulla *Francisco Ludouico* erat antiquior, nullaque prior. Eo toto pectore incubuit, vt laetius illa florerent, indiesque propagarentur latius ab omni deprauatione intacta. Huc spectant pastorales epistolae, quibus inculcabat his, qui ecclesiastico ordini sunt adscripti pastoribus animarum, verba diuini praeceptoris: *Sic luceat lux vestra coram hominibus etc.* Iuniores autem clericos, quos in seminariis lustrauit saepius, hortatus est, et excitauit grauibus verbis, vt ad futuram animarum curam studiorum, morumque optimorum cultura rite se pararent. Vt experiretur, quo profectu seminariorum alumni artem callerent, verbum Dei praedicandi vtiliter, iussit eos coram se in ecclesia aulica, diebus dominicis atque festis, sermones sacros palam declamare. *Parochos* tandem, et *capellanos* frequens ad se vocauit, cum illis collocutus de eorum studiis, viuendi, agendique ratione.

Non verbis solum, aut pastoralibus litteris; sed suo maxime exemplo rem promouere religionis est adnisus cultor verae in Deum pietatis ex animo. Vbi, vbi enim apparuit in coetibus ecclesiasticis publicis, apparuit autem iugiter, agens rem diuinam: quotquot eum intuiti sunt, admirabantur et suspexerunt in supremo sacrorum antistite imitandum non fu-

catae religionis exemplar. Cum praedicauit doctrinas sacras in cathedralibus ecclesiis *Bambergensi* et *Wirceburgensi*, quicunque audierant, habebant sibi persuasissimum, audiuisse se ex antiquis *Augustinum* quempiam, *Chrysostomum*, aut *Basilium;* e recentioribus vero *Carolum Borromaeum*, vel *Franciscum Salesium.* Tantus tamque efficax erat sermo gratiae, qui ad mouendos auditorum animos ex ore sanctissimi praesulis prodiit. Pastor bonus ex facie gregem nosse percupiens, totam peragrare dioecesin constituit. Quocunque venit, praebuit exempla virtutum, pauitque suos doctrina et sacramentis. Lustrauit scholas, visitauit infirmos non in nosocomiis solum publicis, verum in priuatis etiam aedibus, et vilissimis tuguriis. Audiit subditorum grauamina, querelas, et vota; quibusque modis potuit, malis attulit leuamen, aut finem; vt dici recte possit *factus forma* pastorum et *gregis ex animo.*

Quid in commodum studiorum sapientiae egerit, quantumque decoris ac ornamenti contulerit dux ac musagetes liberalissimus ad laudatarum artium et scientiarum amplificanda pomoeria, quis fando poterit assequi, aut pro dignitate enarrare? Reapse demonstrauit, dignum se fuisse magni *Iulii* nepotem. Exstruxit Musis aedificia, eademque instruxit ad culturam artium omnis generis instrumentis

necessariis. Huc maxime pertinent, quae ad causas rerum naturalium indagandas, ad coeli st syderum motus spectandos, ad terrarum, marium, insularum situm, et ingenium consignandum, ad omnem doctrinarum mathematicarum varietatem illustrandam quidquam faciunt. Nouas erexit cathedras, e quibus studiosae iuuentuti traderentur artes, quae prius desiderabantur, velut *veterinaria*, *historia naturalis*, *paedagogica*, *homiletica*, *statistica*, *diplomatica*. Salaria professorum auxit ex suo saepe peculio, vt aerario academico parceret, praecipue belli tempore, quod exarserat. Viros coluit, quos vel ingenii fama, vel doctrinae opinio commendabat. Vocauit eos non contemnendis conditionibus ad suum Athenaeum, vt vacua implerent loca. Cuius rei ipsemet testis sum, cui in Francica Musarum sede despondit cathedram honestis sane conditionibus. At reluctabatur arcana quaedam vis, ne caperem fructum tam honorificae inuitationis. Quam voluntate beneuola, quamque liberali fronte optimus princeps sit complexus ex illustribus scholis celebres doctrina viros, qui ad iubilaei academici solemnes dies agendos *Wirceburgum* confluxerant, experti loquuntur, palamque praedicant, reuersi ad suos.

Quam tandem gaudebat, siquid in re litteraria luce dignum vidit? Quam auide id arripuit! Quibus facibus inflammauit, qui

aliquid ex se promere possunt, profuturum posteris, et litterarum dignitatem amplificaturum! Institit, quibus modis potuit, vt, quae molirentur praeclare, strenue vrgerent, quibus nostrum seculum, et se ipsos sint illustraturi. Quin nec sumptibus pepercit, vt subsidiis instrueret, ad bene coepta rite perficienda. Dies me deficeret; si omnia, quae in litteras, litteratosque plena manu contulit, recensere singulatim vellem.

Manum itaque tollam de tabula. Nec quidquam addam de cura pauperum singulari, de iusto, et sapiente consilio in muneribus conferendis siue sacris, siue profanis et militaribus praeferendi digniores; de immortalibus meritis in rem publicam, et ciuium felicitatem; quorum saluti, atque dignitati tanta prouidentia et indulgentia nullo non tempore consuluit; vt tanquam praesens numen quoddam, sibi de coelo datum, reuerenter colerent populi, quibus imperauit. Neque erit vlla dies, qua seri posteri tanti principis laudes vnquam conticescent.

Ad vitam meliorem transiit patriae pater, exhaustus viribus, attritusque curis, vigiliis, laboribus, quos subiit pro incolumitate populi, cui praefuit, vixitque non sibi, sed suis. annos natus 65. Biographiam principis optimi exhibuerunt *Berg*, *Leibes*, *Limmer* in orationibus funebribus; anonymus in eiusdem rela-

tionibus biographicis, vnde praecipue nos, nostra hausimus. Neque praetereundus *Bönicke*, qui multa pariter in rem adfert, vna cum eius imagine.

EPIGRAMMA

in *Erthalii* ep. et princ. *Bamb.* et *Wirc.* tumulum, cui, tempore ingruentis famis, ignota manus fertur inscripsisse: *Vater steh auf: vnd gieb vns Brod.*

Dum saxo Francisce cubas Ludouice sub isto:
Deficiente penu, nos premit atra fames.
Siquis adhuc nostri te sensus, curaque tangit:
Nos, dilecte parens, mitis, vt ante, iuua.
Ciues ante tuos patrio complexus amore,
Fouisti tanquam pignora chara sinu.
Dum tibi vita stetit terrestris: rebus in arctis
Portus eras miseris, anchora fida, salus.
Quare age, rumpe moras: lento expergiscere somno:
S u r g e, repentinam ferre paratus opem.
D a n o b i s p a n e m, petimus, p a t e r, esurientes:
Prospice de victu, dux venerande, tuis.
Tristia difficilem praebent haec tempora victum:
Tu nisi succurras; perdita turba sumus.
Affer opem, pater alme, cibos, alimentaq. præsta:
Da nobis panem; nec patiare mori.

In obitum
reuerendissimi, ac celsissimi
S. R. I. P.
Francisci Ludouici de Erthal
episcopi Bamb. et Wirc.
Franciae orientalis ducis
luctus patriae.

Ergo est fatali Ludouicus morte peremptus,
Adque patris Moeni iam tumulatus aquas:
Qui desiderium patriae, cunctisque reliquit
Lugendi causam, et perpetuas lacrymis.
Vix sex atque decem princeps regnauit in annos:
Longius is dignus sceptra rotare fuit.
Nil poterant Chiron, Podalyrius, atque Melampus,
Nil herbae, succi, Paeonis artis opus.
Nil sacrae valuere preces, nil publica vota:
Nil remorata ducis lacryma multa dies.
Non iuuit generis longaeui clara propago,
Nec tituli celebres principis atque ducis;
Qui studuit, generis titulos superare vetustos,
Et proprium vigili mente parare decus.
Non pietas mouit, nec sancti praesulis ordo,
Non mythra: non baculus, pontificale decus
Luget relligio, pullato squalida cultu:
Et summi mystae fata suprema gemit;
Qui sacra curauit sollers: cleri, populique
Composuit mores, restituitque bonos.
Moerent Aonides, et quotquot culmina Pindi
Celsa colunt, Clarii pars reuerenda chori;
Principis amissi deplorant damna, dolentque
Fatum magnifici, Palladiique viri.
Flent ciues, opera quos iuuit, consilioque,
Aequa quibus cuncto tempore iura dedit.

Quae colit arua cohors, gens duro sueta labori
Agricolae extinctum flentque, dolentque patrem.
Ad quoscunque volat tanto de principe fama,
Seraque posteritas nomen ad astra ferent:
Felices dicent, quotquot sors laeta beauit,
Viuere sub sceptro, dux L u d o u i c e, tuo.

⊙ 1795. 14. April.

ANTONIVS IOSEPHVS ROSSHIRT

profess. theol. Wirc.

Sülzfeldae ad *Moenum*, apud Ostro-Francos, in ditione *Wirceburgensi* primam lucem aspexit; natus parentibus ingenuis. Patrem habuit *Rosshirtum* loci natalis praefectum (*Cellarium* vocitant) matrem genere *Klüpfeliam.* Curriculum studiorum magna cum laude emensus *Wirceburgi*, inauguratusque sacerdotio, munus obtinuit in Athenaeo patrio, quod *Herbipoli* floret, interpretandi moralem theologiam. Prudentiae, doctrinae, vitaeque innocentis merito, ornatus est anno 1791, consiliarii ecclesiaštici dignitate; atque cooptatus in collegium canonicorum insignis ecclesiae ad *S. Ioannem Euangelistam* in nouo monasterio.

Bene merentur de omni genere humano,

qui cogitationes, et operam conferunt ad excolendam recte viuendi artem, quae turbulentissimos animi motus comprimit, et officii fontes aperit ad omnia vitae munera, cum dignitate homine digna obseruanda, partesque nobis impositas recte agendi, componendas ad amussim, et normam euangelii. Huc suas curas, studiaque conuertit: cum ad opus conscribendae moralis theologiae accessit *Rosshirtus*. Vsus est, in concinnando libro, eorum opera, qui in hoc studiorum genere excelluerunt. Digessit, quae collegit, in commodum, ac meliorem ordinem: et antequam ederet, me non praeterito, legenda tradidit litterariis amicis, rogauitque, vt notarent, siquid animaduersione, obelo, lima, aut spongia dignum deprehenderint. Quae quidem res prodit et commendat auctoris modestiam, proponendam imitationi et exemplo iis maxime scriptoribus, qui primum in lucem prodeunt.

Habuerat praeterea, velut indicat in praefatione, morali theologiae praeuia, deliberatum animo, et mente fixum, contexere pastoralis theologiae institutiones: at mors intercedens scribendi viuendique finem imposuit. Magnopere doleo praeclari viri ex cognatione mea obitum, mihi, Musisque ante diem erepti.

EPITAPHIVM.

Haec sunt Rosshirti fatalia busta, viator,
Cuius in his tumbis ossa relicta latent;
Quem genuit Francis, quæ cœlum spectat Eoum,
Terra ferax Cereris, terraque larga meri.
Ad vada qui Moeni docuit non segniter artes:
Hic ubi Würzburgi moenia celsa vides.
Et cum corriperet lethalis corpora morbus:
Occubuit dicens: Patria Musa, vale.
Esto memor mortis, quisquis legis ista, viator,
Et bene defuncto fausta precare. Vale!

In obitu
Viri in primis venerandi
Virtute et doctrina praestantis
Antonii Iosephi Rosshirt
Professoris theol. moral.
Wirceburgi
Septuagenarii senis
Querimonia.

Sic Libitina furis, sic mortes mortibus auges,
Rosshirtumque meum falce secante necas?
Res ita si pergunt: orbus, solusque relinquor:
Dum charos omnes mors mihi dira rapit.
Rosshirtum rapuit propius mihi sanguine iunctum,
Solamen vitae, deliciumque meae.
Sustulit ante diem caecae violentia mortis
Sacratum Musis, promeritumque virum.

Me pertransiuit, terris me caeca reliquit
Emeritum mystam, decrepitumque senem.
Nonne magis decuit, forti vegetoque relicto
Parcere, et incuruum tollere falce caput?
Nonne nepotis erat, munus praestare supremum,
Et vita functo claudere lumen aui?
Non, cognate, tuam; sed nostram lugeo sortem:
Est tua sors felix; nostra sed atra nimis.
Tu existi liber mortalis carcere vitae:
Quis tandem rumpet vincula nostra dies?
Tu felix superas es coeli vectus in arces:
Iugiter hic miseros cura, dolorque premit.
Est tibi certa salus, aeternaque mansio pacis:
Nobis continua est lucta, nec vlla quies.
Tuque fruens Christo diuino lumine gaudes:
Cum nos in terris caeca caligo premit.
Cuncta quis enumeret bona, queis coelestis abundat
Vita beatorum, tempus in omne manens?
Cuncta quis enumeret mala, queis mortalis abundat
Anxia terrigenum vita, caduca, breuis?
Huius dum dubiis pelagi iactamur in vndis:
Vnum solamen, spes manet vna super.
Vnica spes portus, optataque gloria regni
Fluctibus in tumidis pectora nostra leuat.

⊖ 1795. 5. Aug.

IOSEPHVS ANT. DE RIEGGER

Professor iurium Frib. et Prag.

Oenipontanus, vitali lumine frui coepit anno 1742, die 13. Febr., filius primo genitus *Pauli Rieggeri* tum professoris canonum *Oeniponte.* Patrem *Viennam*, vt eandem disciplinam ibidem profiteretur, euocatum comitatus est, cum puer erat annorum octo. Didicit *Viennae* rudimenta linguarum, cum aliis, quibus tenerior aetas solet informari; vsus est praeceptoribus variis, tum domi, tum in academia *Sabaudica*, vbi docebant patres piarum scholarum, tum in *Viennensi* gymnasio, cui Jesuitae praeerant. Domi vero, curante potissimum parente, est excultus cognitione historiarum, vsu et lectione, ac imitatione etiam auctorum veterum, graecorum, latinorumque. Eo magisterio institutus, industriae nulli cum parceret, nec labori, celeriter eruditus euasit; atque aetatis annum XV. vix egressus, in publicum auctor prodiit, edito specimine de *Plauti* et *Terentii*, poetarum latinorum virtutibus, vitiis, et praerogatiua

alterutrius. Placuit *M. Theresiae*, cui primitias suas dedicauit, studium eruditi praecocis. Laudatus cumulatissime a viris doctissimis doctus iuuenis, et sodalium amicorum decantatus epigrammatis, tum graeco, tum latio sermone contextis, incredibilem cepit voluptatem de primo ingenii foetu feliciter edito.

Ab elegantioris litteraturae studiis ad seueriores artes et scientias progressurus, philosophiae animum, operamque addixit. Inter praeceptores, quos in perdiscendis disciplinis philosophicis habuit, nullum coluit magis, commendauitque frequentius, quam *Aug. Rosenbergerum*, Iesuitici ordinis sodalem, ingenio, doctrina, et gratificandi studio insignem. Ex doctrinis autem philosophicis nullam sibi ita amplectendam putauit, vt mathesin, in quam toto, vt aiunt, ferebatur pectore. Nec inanis fuit eius labor. Nam, qua erat celeritate ingenii, in accipiendis iis, quae tradebantur, quidquid recondita in illa arte, multiplici, subtilique concluditur, totum breui possedit. Curriculo philosophiae confecto, vt de progressu, quem fecit, daret specimen, theses ex vniuersae philosophiae ambitu selectas, publice defendendas suscepit; eo quidem cum eruditorum applausu, vt supremam magisterii philosophici lauream bene merenti decernerent.

Philosophicis artibus ita excultus, et auctus doctoris philosophici gradu, ad ea, quae sunt

studii iuridici, accuratius pernoscenda accessit. Habuit tum aetatis in eo litterarum genere optimorum magistrorum selectum. Habebat *Rieggerum* patrem iurisprudentiae ecclesiasticae interpretem, *Bocrisium* professorem iuris publici, *Martinium* iuris naturae et gentium doctorem, et *Gasparem.* Neque contentus cognitione qualicunque aut superficiali; sed quae sunt difficiliora intellectu, cuius generis in iure naturali plura occurrunt, eius studii cursum repetiuit, et bis absoluit duce *Martinio*, vt exactam rerum notitiam sibi compararet.

Emenso feliciter in collegiis academicis curriculo studiorum, *M. Theresia*, vt erat iuuandis studiis, ornandisque melioribus ingeniis nata *Pallas*, *Rieggerum* magnificis cumulauit donis, vtque magis, magisque perficeretur, indulgentissime promisit, se suppeditaturam sumptus regios; si in terras exteras peregre abire vellet, atque visere apud *Gallos* potissimum, *Hollandos* atque *Anglos*, celebriores Musarum et doctrinarum sedes, cognoscere bonarum artium magistros, et cum illis nectere amicitiae litterariae foedus.

Vt ne iret peregre, auctor filio fuit pater, qui, vt plerique parentes solent, in votis habuerat, vt eam sectaretur vitae rationem, et tractaret artem, quam ipsemet coluerat. Veritus quippe fuerat, ne peregrinationes iurium studiis noxae essent, aut dispendio. Filius

voluntati paternae obsequens excussit animo peregrinandi consilium, seque totum tradidit iurisprudentiae potissimum ecclesiasticae penitius excolendae. Quibus studiis cum esset intentus, in lucem emisit *Bibliothecam iuris canonici* 1761. *Augustini* archiepiscopi *Tarraconensis* de emendatione *Gratiani* dialogos 1762, et *Innoc. Cironii* Gallicani iurisconsulti opera omnia cum notis, et praefationibus Tom. III. 1761.

Magna *Theresia*, vt erat meritorum iusta aestimatrix, demandauit *Rieggero* prouinciam interpretandi canonici iuris in academia *Theresiana*. Paulo post vt latiorem haberet doctrinae, qua erat instructus, ostentandae campum, *Friburgum*, vbi in Iuris consultorum collegio vacabat locus, illi destinauit anno 1765. *Friburgi* propositi tenax erat, quantum in se esset, promouendi meliora studia, et restaurandi in melius omnis generis honestas artes, et disciplinas. Placuit *Rieggero Friburgum:* atque inuitatus an. 1767, vt rediret *Viennam*, successurus in locum *Martinii*, ire noluit. Eodem vocabatur rursus, vt in illa academia obiret professorium munus. Eo quidem profectus est; at post menses aliquos *Friburgum* reuersus, malens cum *Brisgois*, et inter *Brisgoios* viuere. Anno 1772 director renuntiatus philosophicae facultatis; qui ante triennium fuerat cooptatus in colle-

gium consiliariorum caesareo - regiorum prouinciae anterioris *Austriae.* Ex quibus elucet ab augusta aula agnita fuisse *Rieggeri* merita, qui de gradu ad gradum vt ascenderet, dignus aestimatus est.

Quae *Friburgi* elaborauit, vulgauitque litteraria monumenta, apud litteratores merito habentur in pretio. Huc spectant: *Opuscula ad historiam, et iurisprudentiam praecipue ecclesiasticam pertinentia — Analecta academiae Friburgensis — Vdalrici Zasii epistolae — Amoenitates litterariae Friburgenses — Oblectamenta historiae, et iuris ecclesiastici — Bibliotheca Rieggeriana Friburgensis — Bernardi, praepositi Papiensis, Breuiarium Extrauagantium — vt mittam nouam bibliothecam ecclesiasticam Friburgensem;* cuius quidem inchoandae socius fuit, et pars magna: at symbolas non contulit, nisi paucas ad volumen primum; monitus, rogatusque, vt pergeret, respondit, se prohiberi copia occupationum, quae magis vrgent, et otii inopia.

Vt in commune prodesset omni rei litterariae, apud senatum regium de scholis et studiis referendi munus obiit. Obiuit autem munus sibi demandatum sedulo, prudentia magna, et pari fide. Verum nactus est aemulos vndequaque sibi aduersantes; qui cum nihil pulchrum aestimarint, nisi quod ipsi didicere, omnia *Rieggeri* consilia, vtut salutaria, et

commoda adiuuandis, amplificandisque liberalium doctrinarum studiis, ausi sunt carpere, et sinistre interpretari. Impatiens atque satur cauillationum, cum nihil sibi succedere ex voto conspiceret, vertere solum constituit.

Pragam itaque, vbi iuris publici vacabat cathedra, iussu regio, discessit, spe tranquillioris vitae, nobis ereptus anno 1778.

Vti *Friburgensibus*, ita *Pragensibus* Musis salutare sydus erat *Rieggerus*, iuris publici *Pragae* professor, Regii gubernii consiliarius, et referens de rebus rem litterariam attinentibus; qui huic propemodum vni curae se totum impendit, vt collapsa in scholis litterarum studia instauraret, et foueret meliora ingenia, excitaretque ad culturam ingeniis artibus studiosius adhibendam. Quo plurimum contulit *Rieggeri* ephóri exemplum, qui litterariis exercitationibus, in scholis, gymnasiis et academia adesse in primis curis numerabat. Neque eo tempore, quo functus est munere professorio, a scribendo cessauit, vt suis praecipue auditoribus commodaret; et iuris publici disciplinam planiorem ipsis, et faciliorem cognitu efficeret. Eo revocantur opuscula huiusmodi: *Leitfaden in das deutsche Staatsrecht* — *Leitfaden in das allgemeine Staats- und Völkerrecht* — *Tabellarischer Entwurf der deutschen Historie aus den ältesten Zeiten* — *Harmonische Wahl-Capitulation Kaiser Iosephs des II.* —

Capitulatio Imperatoris variis variorum dissertationibus, et libellis illustrata — Prolegomena iuris publici Germaniae; in auditorum suorum vsus collegit, recensuit, atque annotationes adiecit Rieggerus.

Anno 1782 interrumpitur docendi cursus, quem annis quatuor *Pragae* egerat. Magnificis conditionibus a *Schwarzenbergico* principe vocatur *Viennam*, vt ei esset a consiliis sanctioribus, siue, vt loquimur, intimis. At non erat haec statio diuturna, fratris germani causa, quem ob contractum aes alienum, cui soluendo erat impar, ne coram cernere cogeretur infami poenae addictum, *Viennam* deserendam putauit vna cum sparta diuite, quam fauore optimi principis paulo ante obtinuerat.

Rediit itaque *Pragam*, non vt professor academicus; sed duntaxat vt gubernii regii consiliarius; quamquam valde acciso, imminutoque stipendio, animum de re litteraria bene merendi non amisit; quod luculenter ostendit in senatu regio, maxime cum ageretur de censura librorum; aut de fundatis in commodum studiosorum stipendiis; ex quibus suscitauit plus quinquaginta, quae erant penitus oblitterata. Vt ne posthac dari obliuioni possent; indicem peruulgauit typis, qui omnia id genus stipendia, singulatim descripta, transferret ad memoriam posterorum.

Decem illos vitae posteriores annos, quibus

erat docendi munere liber, vacuas ab occupationibus consiliarii regii horas ad historiam *Bohemiae* excolendam, illustrandamue conuertit; quod comprobauit scriptis eo de argumento pluribus, in lucem emissis; cuiusmodi sunt: *Materialien zur alten vnd neuen Statistik von Böhmen — Archiv der Statistik vnd Geschichte von Böhmen — Diarium von Böhmen für Böhmen cum figg. — Skizze einer statistischen Landes-Kunde von Böhmen.* Eodem temporis interuallo edidit *Riiggeriana*; quae mihi cum muneri mitteret, se excusauit, quod, me inscio, litteras meas ad se scriptas propalauerit, insertas *Rieggerianis.*

Refert quidem, quod certissimum est, *Schlichtegrollius*, *Rieggerum* semper fuisse causae bonae vindicem imperterritum, nulla respectus humani habita ratione. Vt in confirmationem asserti exemplum ex pluribus vnum adducam, nostra in *Rieggerum* obseruantia, et grati animi flagitat officium. Anno 1775, qui, more recepto, erat iubilaeus, circumferebatur libellus, quasi ciuitate donatus, atque vsu communi frequentatus praecedentibus iubilaeis. Antequam *Friburgensibus* typis recuderetur, demandatum mihi erat, iudicium de illo vt ferrem. Tuli censuram; vt germanum theologum decet. Alia emendanda, alia delenda esse putaui; quod non satis consentirent cum purioris theologiae principiis. Ea

res fecit, vt prelo libelli, quem vulgus emturiebat, poneretur remora. Hinc nata sunt aduersus censorem murmura, criminationes, conuitia. Clamabant palam, falsa docere virum, fideique opposita. Succinuerunt multitudini e doctorum numero, qui vel obcaecati ignorantia, vel ducti affectibus aliis illaudatis, ignem igni, aut oleum camino addidere. Plurimum denique ad conflandam mihi inuidiam sibi visi sunt conferre, quod contenderent, libellum episcopali auctoritate pridem fuisse approbatum.

Ea rerum tempestate, cum omnia in fermento essent, ceteris huius tragoediae spectatoribus mutis, quod timerent plebem: solus *Rieggerus* seditiosae multitudinis nil veritus iras, neque curans doctorum indoctorum artes, aut sophismata, causae melioris, sed paene desperatae, patrocinium in se suscepit; atque in senatu regio, quo res delata fuerat, eum disseruit in modum, vt, qui cum vulgo senserant, edocerentur meliora. Vnde breui factum est, ut factionis duces conticescerent, paulatimque mitescerent concitatae plebis animi. Eaque ratione, *Rieggeri* opera, tempestas illa, si non depulsa penitus, sopita certe fuit.

Nunc vide, beneuole lector, miram rerum conuersionem. Quod ante suspectum erat, aut paene haereticum; nunc amplectuntur, et laudant vtroque pollice, et commendant magna consensione propemodum omnes; quicumque

irata *Minerua* nati non sunt; vt diebus nostris paucos inuenias, quibus vetus illa vappa adhuc allubescat. Ita opinionum commenta delet dies.

Sed vt ad *Rieggerum* nostrum reuertamur amicum veterem, certum, et constantem; quicunque legerit vel *Rieggeriana*, vel eius vitam descriptam a *Schlichtegrollio*, non potest non dolere vices incomparabilis viri, qui bono publico omnem suam vitam consecrauit; vt veracissime de se scripserit in vna imaginum, quam reliquit: *Nunquam vixit sibi: nunquam suis;* quibus aeque veraciter potuisset addere: *Neque habuit; vnde viveret* homo pauperrimus, tot afflictus casibus acerbis; vt ne extremus quidem vitae articulus, quanquam non persentisceret positus in agonia, casu aduerso careret. Nam sponda, in qua iacuit, paulo antequam exspiraret, confracta est, vt humi stratus exhalaret animam; aetatis anno 53. Eius imago *Friburgi* est incisa aeri a *Petro Mayer*.

E P I T A P H I V M.

Natus ad Oeni pontem, et Pragae carne solutus,
Hac est Rieggerus contumulatus humo.
Multa tulit, multos didicit, docuitque per annos,
Artis, et ingenii dans documenta sui.
Laudibus extulerunt, Friburgum, Praga, Vienna;
Quotquot et audierant, obstupuere virum.

Illius haud minor est virtus, probitasque fidesque,
Pectus et ingenuum, candidiusque niue.
Hac ratione viam sibi celsa parauit ad astra:
Ornat vbi meritum digna corona caput.
Discite mortales, veteri quod grammate fertur,
Gloria, quae maneat, sit bene gesta sequens.

Post obitum
Illustrissimi ac Amplissimi Viri
Iosephi Antonii de Riegger
Romani imperii Equitis
Professoris Iurium
Friburgi et Pragae
ad Manes Rieggerianos
Amici Friburgensis
Elegia.

Siquis amor rerum post tristia funera restat,
Et sequitur Manes, quos loca senta tegunt:
Sique suis Lethe non eluat omnia lymphis:
O anima, o vinclis libera facta suis:
Te non vlla quidem capient obliuia nostri,
Nec nostri tua mens immemor esse potest.
Ex quo etenim me sors Brisgoiis appulit oris,
Atque tuam potui tangere, chare, manum:
Vt potui ore tuo doctas haurire loquelas,
Factus es hinc animae pars quoque magna meae.
Ipse tui nonnulla fui, concordia postquam
Et studii parilis pectora iunxit amor.
Iunxit amor stabilis: firmauit longior vsus;
Ac inter primos primus amicus eras.

Annus erat iubilaeus, vt indulgentia detur:
Ipsa fuit litis, dissidiique caput.
Aemula me petiit, numerosaque turba lacessit:
Clamauere palam, falsa docere virum.
At siluit malesana cohors, iraeque repressae,
Rieggero causae patrocinante bonae.
Vna coniuncti multos habitauimus annos,
Quos inopinatus separat heu abitus,
Discedis Pragam, sociosque relinquis amicos
Friburgi, Pragam non rediturus abis.
Continuo curans aliena negotia, dixti:
Vix vnquam vixi vel mihi, velque meis.
Saepe querebaris, quod coepta, ac optima quaeque
Conspiceres voto non cecidisse tuo.
Praecoce te rapuit fati violentia morte:
Ictu dum subito mens labefacta riget.
O vtinam Pylii vixisset Nestoris annos,
Qui fulcro multis, praesidioque fuit!
Haec audiit Rieggeri vmbra, indignansque reponit:
O stolidi! quis vos improbus error agit?
Vultis, vt in miseris sim longior incola terris,
Squalenti tenebris, tristitiaeque domo:
Pax vbi nulla viget? satis his habitauimus oris,
Nil, quod pelliciat, tristis hic orbis habet.
Possideo faustas coeli nouus incola sedes,
In quibus assiduo pacis oliua viret.
Regna beata placent. Hic viuimus aurea secla,
Quae sine fine manent. Terra molesta, vale!

☉ 1795. 7. Nov.

PHILIPPVS IACOBVS STEYRER

Abbas ad S. Petrum Ord. S. Bened.

Brisgoius, in lucem editus *Friburgi* anno 1715, die 10. Febr., emensus in gymnasio patrio humaniorum litterarum cursum, monastico instituto Ord. *S. Benedicti ad S. Petrum*, haud procul *Friburgo*, in silua nigra nomen dedit. Sacro tyrocinio perfunctus, an. 1732. die 1. Maii, nuncupatis publica ac solenni religione votis, suscepto ordini arctius se adstrinxit. Philosophicis postea, atque theologicis disciplinis excultus horas vacuas ab exercitationibus praescriptis, notandis, et excerpendis codicibus, quoscunque legisset diligenter impendit. Quem quidem morem per omnem vitam sedulo obseruauit, vt nunquam legeret, nisi stylo in manu habito. Vnde factum est, vt memoriae leuandae causa sibi pararet quoddam quasi promptuarium, ex quo peteret, quae suis vsibus aliquando forent commoda.

Priusquam initiaretur sacerdotio, quod singulare est, ac praeter morem, instituendis iunioribus in sublimioribus artium et scientiarum

doctrinis iussu *Benedicti II.* abbatis praeficitur, quod palam esset, quantum *Philippus* in studiis sapientiae praecelleret. Anno 1739. ad sacerdotii euectus gradum, obeundis muneribus variis est admotus. Egit catechetam, theologiae professorem, bibliothecarium, atque pastorem animarum ad *S. Vlricum;* ita hospitium appellatur, aut, vt dici solet, *Prioratus* siluae nigrae, *San-Petrensi* coenobio aggregatus.

Anno 1749. *Benedicto* abbati, vita functo, successit *Philippus*, electus abbas die 9. Dec. Sublimiore in loco collocatus, de pristina vitae ratione nihil immutauit. Erat, vt ante, humanus, benignus, facilis in omnes, solitudinis amans et studiorum, atque alienus ab omni fastu, et ambitione. Operam in primis dabat, vt muneris, quod recens adiit, partes ad amussim impleret. Hinc illa cura vigil in tuenda regulari disciplina; et ornandis in monasterio litterarum studiis: hinc illa iugis sollicitudo de rebus oeconomicis, praediis, latifundiis: hinc illa cura rei publicae, ac statuum, qui *prouinciales* appellantur.

Forem nimius; singulatim referre si vellem, in huiusmodi negotiis, quorum pars magna fuit, *Philippus* quam se gesserit vbiuis prouide, ac sagaciter, iuste non minus, quam sapienter. At instituti nostri memores, qui lit-

teraria potissimum prosequimur, relinquimus alia aliis, ea, quae ad bibliothecas, scholas, litterasque attinent, nobis reseruantes.

Laudent alii disciplinae regularis pulcherrimum ordinem, quem in asceterio sibi commisso iugiter summo studio est tuitus. Quocumque conuerteris oculos; nihil tibi occurrit distortum, nihil a modestiae, et frugalitatis legibus alienum; sed bene ordinata omnia, atque exacta ad praescriptum regulae, et amussim statutorum composita, compositissima.

Praedicent alii, esse a *Philippo* abbate claustrum monasterii, quod seculo praecedente semel, iterumque flammis exustum est, et restitutum opera tumultuaria, iactis nouis fundamentis solidius aedificatum, atque vsibus magis commodis accommodatum. Praedicent, quod ad decorem cultus diuini spectat, ecclesiam nouam eius cura erectam esse *ad S. Vlricum.* In ecclesia autem *San-Petrensi* esse auctam sacram supellectilem; chorumque instructum organis nouis musicis, et subselliis nouis. Neque praetermittenda sunt mausolea magnifica, quae poni fecit in memoriam *Zaehringensium* ducum eiusce monasterii fundatorum, qui suum ibi tumulum elegerunt.

Recenseant alii *Philippi* merita in rem publicam, cui prodesse consilio, opera, modisque omnibus allaborauit. Anno 1761. nomine *statuum*, quibus erat vnitus, legatione

ſunctus est ad episcopum *Constantiensem;* et an. 1763. ad *Viennensem* aulam in grauissimis negotiis; ita autem munere functus est suo, vt prudentia, et constantia vinceret; atque cum plausu *Brisgouiorum* exceptus, ad suos rediret.

Possent his addi longe plurima, quae merita declarant abbatis optimi. Quis enim non miretur, non suspiciat, virtutes eximias, quibus erat ornatus. Erat in eo religio non fucata aduersus Deum, et sincera charitas erga homines alios, discrimine nullo, maxime inopes; inde fluxit incredibilis illa comitas, qua, qui admitti ad se cupierunt, sic excepit, vt neminem tristem dimitteret: sic, tamque suauiter, et, vt ita dicam, familiariter cum omnibus egit, vt de grauitate et dignitate personae, quam sustinuit, nihil amitteret; quae quidem moderatio in his, qui praesunt, rara virtus est, atque difficilis.

Vt demum ad id, quod nostri instituti exigit ratio, more nostro enarrandum accedamus: sermo habendus est de scholis, et re litteraria. Ante omnia autem lubet adnotare, *Philippum*, memorem sapientis dicti: *Monasteria oportet esse religionis et ingenuarum artium domicilia*, nihil prius habuisse, aut potius, quam vt in monte *S. Petri* gymnasium conderet, in quo erudiretur studiosa iuuentus, informanda humanioribus litteris.

Scholis, auspicio suo erectis, inuigilauit sedulo: atque bene meritis in anni scholastici fine praemia distribuit.

Nequid porro esset, quod sublimioribus studiis poneret remoram, cum intelligeret desiderari disciplinas quaspiam in suo Athenaeo, mathesin videlicet, atque orientales linguas: laborauit, in philosophiam disciplinae mathematicae, in thelogiam vero orientales linguae vt inferrentur. Quare misit ex suis tum ad celeberrimum monasterium *S. Galli* apud *Heluetos*, tum ad *Salisburgenses*, qui discerent desideratas artes et scientias, atque ad *S. Petrum* inducerent. Res plane e voto cessit. Redierunt viri laudatis studiis instructissimi. Plantarunt in *San-Petrensi solo* disciplinas, quae deerant. Laetissime floruerunt, tuleruntque fructus vberrimos. Testes sunt globi mirae magnitudinis, qui referunt coeli, terraeque faciem, delineati accurate, et artificiose fabrefacti studio, opera, manibus *San-Petrensium* mathematicorum.

Neque id, quod ad scientiarum, et artium incrementum conducit plurimum, fugit abbatis studiorum amantissimi sagacitatem. Compertum est, diuersos diuersis duci studiis, eaque felicius succedere, quae cuiusque indoli fuerint magis accommodata. Eo animum intendens, facile passus est, vt pro sua animi inductione quisque eligat artem, de liberalibus loquimur, in qua se exerceat, conantesque adiuuit. Ne-

que enim compellendi sunt, vt, quicunque monachorum claustris tenentur, piis duntaxat meditationibus, et coelestis doctrinae, sacrorumque monumentorum, quae afflatu diuino concitati viri sancti condiderunt, intelligentiae se totos tradant, et in eo solum studio ad obitum vsque consenescant. Non enim Deus frustra humanis mentibus tam diuersas affectiones, quasi quaedam semina, naturaliter inseruit; quibus fit, vt hoc illoue doctrinarum genere prae aliis capiantur alii.

Est itaque et ordinationi diuinae conueniens, et honorificum monastico ordini, ac conducibile ad decus, et augmentum scientiarum, si pro facultate quisque sua id litterarum genus tractandum sibi sumat, quod magis allubescit, et ad quod suapte natura fertur.

Neque sua se spe, et exspectatione frustratum vidit praestantissimus antistes; dum studiorum eligendorum optionem suis liberam fecit. Vidit enim breue intra tempus feliciter efflorescentes in suo coenobio varii generis meliores litteras. Alii, quos iuuat politiorum doctrinarum humanitas, operam suasque curas ardentiore studio conuerterunt ad rite intelligendos veteris latii scriptores aureos, fructu non poenitendo, duces optimi iuuentutis litterariae ad Parnassum. Studebant alii disciplinae recte ratiocinandi, subtiliterque

exigendi verum ad amussim rationis. Incitauit alios ingenii ductus ad abditas rerum naturalium indagandas causas, ad motus syderum perdiscendos, ad coeli, terrarumque metiendos fines. Sunt, qui industriam suam probarunt in bibliothecae lustrandis, ac percensendis codicibus, et in conscribendis indicibus necessariis; vt, quem quisque locum occupet, quidue contineat, facilius inueniat, qui quaerit. Inter eosdem reperire est, quibus est in deliciis, versari in diplomatibus, et veteribus chartis tabularii; vt a situ, squalore, maculis, quas temporum hominumque iniuria aspersit, vindicent; pristinaeque, quantum fieri potest, integritati restituant, ac nitori.

Inter instrumenta, quae rem litterariam iuuant, priorem fere locum meretur bibliotheca. Quam fuerit bene meritus de re libraria, facile perspicit, quicunque tempora temporibus conferre velit. Quando abbatis munus adiit, in promptu non erant, nisi libri numero pauci, iique haud magnae vtilitatis, aut pretii; nisi forte velis, valuisse ad declarandas subtilitates *Scoti*, quibus olim cathedrae ibi personuerunt. Vbi vero beatae memoriae decessit antistes: quam augusta bibliothecae aula, quanta repositoriorum concinnitas, quae multitudo omnis generis codicum selectorum, non minus rarorum, quam vtilium, quos magnis, sed saluberrimis impensis conquisiuit vndique, vt face-

ret *S. Petri* supellectilem librariam omnium facile instructissimam.

Praeter bibliothecam, prouidit suis de instrumentis mathematicis, de numophylacio, de mineralibus, salibus, conchis, lignis, et naturalium rerum omnis generis collectione satis numerosa, vt earum rerum cupidi haberent, quibus ingenium exercitarent, aut stylum.

Etsi vero beatus abbas curis, et occupationibus fere continuis fuerit distentus: siquid tamen otii aliquando habuit, a negotiis ceteris vacuum, studiis libenter impendit; et quasi animi refocillandi gratia rediit ad lectionem, excerpsit, atque a commentandi studio nunquam cessauit. Quae ab eo contextae sunt lucubrationes, numerum quinquagenarium fere excedunt. Quae typis sunt editae, non paucae recensentur a litteratoribus. Ex his, quae sunt ineditae, nonnullas adiungo, quae sunt luce publica dignae; velut:

1. *Theologia dogmatica, ad vsum suorum fratrum studentium accommodata.*

2. *Iahrsgeschichte vom Stift St. Peter etc vom Iahr* 1073. *bis* 1773.

3. *Sanctum D. N. I. Christi euangelium, propriis quatuor Euangelistarum verbis noua methodo contractum, et in sex partes distributum.*

4. *Series chronologica omnium abbatum*

monasterii S Petri; et eorum succincta elogia, quasi breue chronicon.

Praeter haec reliquit collectanea plura, et commentationes ascetici praesertim, historici, et theologici argumenti.

Vir tantus, virtutibus ac meritis plenus, plenus item dierum atque aerumnarum, confectus senio, octogenario maior, animam Deo reddidit die 7. Nou. an. 1795.: eo nimirum tempore, quo, flagrante exitiosissimo bello, quod a reuolutione *Gallicana* duxit initium (vtinam germaniae principes illis Gallorum intestinis dissidiis nunquam se immiscuissent! Hinc illae lacrimae!) *Austriaci San-Petrense* tenebant claustrum verteruntque in domicilium sauciorum, et aegrotantium militum. Satis felix, quod, quae a discessu suo contigerunt, suis oculis intueri non cogeretur; quemadmodum *S. Augustinus*, vt *Possidius* refert cap. 29. in eius vita, gratiae loco habuit, eripi citius ex hoc seculo, quam *Hipponensis* ciuitas, quae erat obsessa a barbaris, in manus hostium veniret. Quod et consecutus est. Quid? si superstes in viuis adhuc fuisset anno 1807., quo *San-Petrensibus* dictum est; *Veteres migrate coloni!* ceteris rebus omnibus, quas tot annos, tanto studio, labore, vigiliis seruauit, et auxit, fisco addictis; bibliotheca partim *Carlsruham*, vt

bibliothecae aulicae, partim *Friburgum*, vt academicae iungeretur, deportata.

Elogium,
quod eius imagini
monumenti loco
a suo successore
est adiunctum,
habet se hunc in modum:

„*Philippus Iacobus Steyrer*, abbas LV., „natus *Friburgi* anno 1715. 10. Febr., elec- „tus 9. Dec. 1749., pietate, doctrina, discipli- „nae zelo, rebusque gestis inclytus, de mo- „nasterio, de re litteraria, de subditis, de „patria denique optime meritus. Scripsit, „fecit, pertulit plurima. Id quod claustrum „monasterii ab eo constructum, bibliotheca „perfecta, et locupletata, templum ornatum, „libri conscripti loquuntur. Obiit meritis, „annis, aerumnis plenus; cum claustrum „monasterii a militibus *Austriacis* pro noso- „comio occuparetur, 7. Nou. 1795."

Quae de abbate optimo adduximus, pro sua humanitate communicauit nobiscum vir clarissimus *Placidus Schich*, *San-Petrensis* coenobii quondam alumnus; nunc *parochialis* eiusdem ecclesiae rector.

EPITAPHIVM.

San-Petrenses abbates epitaphiis cum careant: lubuit, in grati animi memoriam, id quod sequitur, attexere:

Conditur hoc loculo longe dignissimus abbas:
Et cineres seruat, clare Philippe, tuos.
Plurima scripsisti. De vitis praeteritorum
Abbatumque dabas plurima, digna legi.
O vtinam maius studium tibi, mensque fuisset,
Quae bene fecisti, gesta referre stylo!
Sed tua non siuit virtus, probitasque, pudorque,
Quae bene gessisti, prodere facta palam.
Dextera quae peragit, non norit facta sinistra;
Vt Christi lex fert, eloquiumque Dei.
Diuini verbi non immemor obticuisti,
Quae bona sunt studiis saepe patrata tuis.
Non laudes hominum fuerant tibi meta laborum;
Finis erat, summo sed *placuisse* Deo;
Qui tribuit vitam, et meritis bene praemia confert,
Quae capis; atque pios quae sine fine manent.

In obitum
Reuerendissimi ac amplissimi Domini
Philippi Iacobi Steyrer
Abbatis Ord. S. Benedicti
ad S. Petrum in silua nigra
de inclementia mortis
poemation.

Quæ genus humanum non vexant monstra malorum,
Morborum omne genus, bella cruenta, fames?
Et super his cunctis inclementissima mors est,
Quae, quidquid spirat, dissipat, atque rapit.
Non prece, non auro, lacrymis nec flectitur vllis:
Cum pueris perimit decrepitosque senes.
Non formam, aut sexum, non nobile stemma veretur:
Nec doctas lauros, pontificumque mitras.
Abbatem nuper, mitra, canisque verendum
Abstulit; insigni cum pietate virum.
Qui patrii fuerat non vltima gloria Pindi;
Commendata typis quod documenta probant.
Quae laus victori, quae gloria, quisue triumphus,
Imbellem latro dum ferit ense senem?
Vitas sanctorum contexuit, atque medullas,
Ex patrum libris ethica scripta dedit.
Nec minus est laudis, quod lectis vndique libris
Multo chartaceas aere parauit opes.
Dum queror haec; videor, manes audire Philippi,
Atque mihi tales ore referre sonos:
Quid mortem incusas, quae summi iussa tonantis
Perficit, atque suo fungitur officio?
Nec mihi damna tulit: sed ab imis transtulit, atque
Duxit ad excelsi regna beata poli.

Nunc vere felix, patriae coelestis in aula
Concino cum superis carmina laeta Deo.
Gaudia percipio, quae mens non exprimat vlla,
Gaudia, quae nullo sunt peritura die.

Θ 1796. 13. Mart.

FRANCISCVS ANTONIVS VEITH

bibliopola Augustensis et auctor.

Patria *Augustanus Vindelicus*, adscriptus primum sodalitio *Iesuitarum;* post bibliopola, doctusque litterator: qui complures annos vinculo amicitiae mihi coniunctus erat: verique amici partes summa fide, constantiaque impleuit. Succurrit perofficiose, atque frequens mihi, meisque studiis. Misit libros, quos seruabat bibliotheca sua, quam satis instructam habuit; siue ex bibliothecis *Augustensium* aliis, quos suo nomine accepit mutuos, vt mihi vtendos praeberet, remittendos, vt par est, post vsum. Singulari prorsus beneficio me cumulauit, quod *Celtis* mei nonnulla opuscula, quae in bibliothecis *Augustanis* delituerant, nullo aere venalia, mihi

comparauerit, meaque fecerit, suo potissimum studio, permutationis iure. Non ducebatur solum laudabili, quibus rebus potuit, gratifidandi litterarum cultoribus voluntate beneuola; sed ipsemet pariter fuerat inter scriptores *Sueuiae* clarum nomen, et auctor celebris *Augustanae bibliothecae*, qua complexus est notitias de vita et scriptis eruditorum, quos *Augusta Vindelica* orbi litterato vel dedit, vel aluit. Prodierunt inde ab anno 1785, volumina 12. in 8. Conscriptum est opus a librario docto latina lingua, stylo non minus elegante, quam perspicuo. Quae quidem res ruborem suffundet multis, qui litterati dicuntur. Quanti laboris, et vigiliarum, quamque multiplicis lectionis sit opus, quo proferuntur in lucem sexcenti doctrina et eruditione praestantes viri, delineatis eorum vitis, atque recensitis monumentis ingenii, vix sibi persuadebit quisquam; nisi in eo scribendi genere versatus aliquando fuerit.

Quanquam vero incomparabilis industriae vir ac laboris de patriae historia litteraria fuerit praeclare meritus, communique omnium laudatione dignus: non tamen deerant, quos vel obcaecauit inuidia, vel carpendi libido, studiumque cauillandi in transuersum egit, qui opus laboriosum, plenum bonae frugis, et elucubratum aspirante *Minerua*, superciliose perstringerent virgula temere, et ini-

que vibrata; quae quidem res adeo deiecit optimi scriptoris animum, vt taederet, coeptam telam pertexere. Abrupisset haud dubie filum: hortatu amicorum nisi mentem mutasset. Monuerunt, qui rectius senserant, esse negligenda sciolorum petulantium sinistra non minus, ac iniqua iudicia: quandoquidem alii, aequiores rei aestimatores effusis laudibus opus feliciter inchoatum iure merito cumulauerint. Quis praeterea non peroptet, vt aliarum etiam ciuitatum, quae viris doctrina illustribus inclaruere, litterariae id genus notitiae existerent; vnde spes esset, fore, vt plus luminis Germaniae eruditae superiorum temporum affunderetur.

Est inuidiosius, quod in amici, integerrimique scriptoris caput intorquebant maleuoli, causati, infesto *Veithium* animo fuisse, ac emisisse bilem in auctores, qui a sacris, et communione catholicorum dissiderent. Quam nequiter haec calumnia conficta sit, et impacta in virum innocuum, atque nihil tale promerentem, singulae propemodum bibliothecae, quam euulgauit, contestantur paginae. Plenae sunt encomiis, vbi vbi ferebat locus, et longis abundant laudum significationibus, quibus ornauit scriptores, discrimine nullo, cuius demum cunque sint ecclesiastici coetus. Sicubi detexit maculam in auctore acatholico: quis vitio vertet; si scriptis prodidit?

Nonne prima historicorum lex est veritas? Qui nulla religionis habita ratione, singulos pro meritis censet, laudat, aut vituperat, non vituperium meretur; sed commendationem, imitatione dignus. At desino querelarum, memor, necrologum me agere, non accusatorem vel aduocatum. Propius ad id, quod nostri est instituti, pertinet, meminisse, hucque referre, post obitum, a filio, paternarum virtutum haerede, missam mihi fuisse patris effigiem, incisam aeri, munus longe acceptissimum, quod in mentem revocet viri amicissimi recordationem; quanquam eius memoria, dum viuo, nunquam effluet huic animo.

Obiit *Veithius* aetatis anno 66. Quae de eo commemoraui, didici pleraque tum ex epistolari commercio, quod mihi cum illo intercesserat; tum ex operibus, quae edidit, recensita studio *Meuselii* in *Germania litterata.*

EPITAPHIVM.

Quo properas hospes? gressus, rogo, siste parumper,
Quosque vides, paucos perlege versiculos.
Si fors nota tibi Viti est, auditaque fama,
Qui fuerat patrii gloria magna soli.
Qui doctos ciues, et claros artium alumnos,
Seruauit sartos, eripuitque neci;

Quique quod est pluris, fere reddidit immortales,
Quos sua commemorat b i b l i o t h e c a viros.
Ob tot seruatos ciues, dignissimus idem,
Cui merito cingat querna corona caput,
Ipsius hac tegitur corpus tellure quiescens,
Carnis relliquiae, vermibus esca, cinis.
At pars nobilior, superum, coelique propago,
In patriam rediit, venerat vnde, suam.
Manibus optatam requiem, pacemque precatus,
Quam bene coepisti, progrediare viam.

In imaginem
de historia patria bene meriti
F r a n c i s c i A n t. V e i t h
Augustani bibliopolae, et auctoris,
quam
post patris obitum
dono mihi misit eius filius,
Lusus metricus.

Effigies cuius? Tua, V i t e, sodalis, amice;
Hac facie vixisti: oreque talis eras.
Praeclaros inter s u e u o s celeberrimus auctor,
Lux, A u g u s t a n i lausque decusque chori.
Scriptor eras patriae laudatus b i b l i o t h e c a e,
Aeque laudatus bibliopola simul.
Tu solitus verbis mihi respondere latinis,
Monstrasti A u s o n i a s te bene-nosse deas,
Tuque frequens aderas nostris, bone Vite, Camenis:
Insignisque mei C e l t i s amator eras.

Te fecit celebrem doctrina, modestia, candor,
Non fucata fides, cum pietate pari.
Non moreris moriens, mi Vite, superstite gnato,
Qui patris ingenium cum probitate refert.
Nobile par nimium, queis sic et viuere dextra
Sanxerunt fata, et dextra dedere mori.
Viti gnate haeres patriae virtutis, opumque,
Quid ni nostrae haeres sis et amicitiae?
Noster amor vigeat constanter tempus in omne,
Quem neque vis mortis dissoluisse queat.
Haec icon monitrix chari mihi semper amici
Non sinet, vt possim non memor esse sui.
Tu quoque, nate, tui semper memor esto parentis;
Quodque facis, sollers hunc imitare. Vale.

Θ 1797. 13. Ian.

CHRIST. FRANC. CAR. L. B. DE EBERSTEIN

praepositus Basileensis.

Pauca quidem sunt, quae de *Ebersteinianorum* familia nobis explorata habemus. Esse genus nobile et perantiquum, quod consederit olim ad *Rheni* ripas, post demigrasse in *Hassiam*, et *Saxoniam*, perhibent monumenta veterum. Aeque nobis est incomper-

tum, vbi sit in lucem editus illustrissimus praepositus, de quo nobis hic sermo est. Liberaliter fuisse educatum, atque a teneris institutum optimis religionis, reique litterariae studiis, dubitabit nemo, quicunque cognouerit, quibus virtutum dotibus, et artium, scientiarumque ornamentis in omni vita enituerit: vt ex semente bona, annis iuuenilibus recepta, tam vberes fructus, largamque messem merito dimetiare.

Effulsit clarius vitae innocentia et sanctitas morum, qua praefulsit, cum ecclesiae cathedralis *Basileensis* factus praepositus, quasi constitutus in specula, omnium in se oculos, mentesque conuerteret. Alienus ab otio, lusu, conuiuiis et ab omni voluptate, ac deliciis, quas mollis vita offert; consumpsit aetatem in laboribus, vigiliis, et eruditis *Mineruae* studiis. Lenem et humanum in omnes, in egenos beneficum, modestum sine ambitione, prudentem in rebus agendis, et religionis cultorem sincerum, quicunque nouerant, suspexerunt, amarunt, coluerunt, iudicaruntque dignissimum, qui non praepositi solum; sed episcopi etiam atque principis dignitate emineret.

Vexatissimis illis temporibus, cum furore bellico miscerentur omnia, pulsus in exilium, aequo, aiebat, ferendum est animo, quod mutari non potest: neque obnitendum

diuinae prouidentiae consiliis, humanae menti imperuiis. Neque aliter se, suosque solabatur, dum pace reddita, vulnus longe grauius inflictum est *Basileensi* episcopo, et canonicis eiusdem ecclesiae; dum bonis et possessionibus cedere iussi, alienis dominis sua relinquere compulsi sunt.

Ab illo tempore in suam se abdidit bibliothecam ex litteris leuamen petiturus; secundum illud *Tullii : Secundas res ornant; aduersis perfugium ac solatium praebent :* quam quidem sententiam libris eius singulis diu ante inscriptam reperi : quasi praesensisset, cui vsui sua sibi bibliotheca aliquando foret. Habuit autem bibliothecam non ad pompam et ornatum; sed refertam codicibus selectis, quos cognouerat foris, et intus.

Vt, quam mecum habuit consuetudinem, non praeteream; singulari semper gaudio mihi fuerunt litterae, quas puro et elegante latino sermone ad me dedit, beneuoli amoris plenas. Adiunxit haud raro epistolis opuscula litteraria, de quibus vt in *bibl. eccl. Frib.* iudicium ferrem, rogauit. *Friburgum* cum venit, me inuisere nunquam praetermisit, ruens in amplexus meos. Familiaria inter colloquia non erat sermo, nisi de re litteraria; vt putares, mihi rem fuisse cum

veterano litterarum professore, qui in Musarum palaestra, et inter libros consenuerit.

Inualescentis senii incommodis, cum sentiret vacillare valetudinem, ac praesentiret, diem illum haud procul abesse: *Basileam* se recepit, tanquam locum tuendae valetudini ceteris magis commodum. Extremis tabulis cauit, vt defuncti cadauer in locum catholicum deferretur, mandandum sepulturae. Quemadmodum igitur petiit, tumulo illatus est, qui terrena reliquit piae memoriae praepositus, in cemeterio catholicae ecclesiae *Stettensis*, quae in dextero *Rheni* littore interiacet *Lörrachum* inter et *Basileam*, haud magno interuallo.

Illud dolendum, velut litteris parochi, *L. B. Wederspachii* mihi significatum est, defuncti tumulum ita esse aequatum solo, vt iam nullum illius vestigium appareat. Vtinam haeredes tanti viri memoriam non prorsus oblitterari sinerent! Exposcit pietas, fides, et grati animi officium, vt homines bene meritos vindicemus ab obliuione, proponendos posteritati exemplo et imitationi. Vt ne diu haesitent, qui illustrissimi praesulis famam ad memoriam posterorum propogare cupient, quibus potissimum verbis concipienda sit, exprimendaue sepulchralis lapidis inscriptio: en formulam!

MEMORIAE
GENERIS NOBILITATE PRÆSTANTIA DOCTRINÆ
VITAE INTEGRITATE, ET DIGNITATE HONORUM
ILLUSTRISSIMI DOMINI
CHRISTIANI FRANCISCI CAROLI
L. B. DE EBERSTEIN
ECCLESIAE CATHEDR. BASIL. PRAEPOSITI,
DE ECCLESIA REQUE PUBLICA
OPTIME MERITI
QUI
VT FEREBANT TEMPORA
IACTATVS CASIBVS ADVERSIS
AEQVO ANIMO VT SEMPER VIXIT
ITA MORTEM OPPETIIT AEQVANIMIS
BASILEAE MORTVVS
OCTOGENARIO MAIOR
ANNO REPARATAE PER CHRISTVM SALVTIS
MDCCLXXXXVII. DIE 30. IAN.
VT EXTREMIS TABVLIS SANXIT
APVD CATHOLICOS IN STETTEN
HIC LOCI SEPVLTVS
MENSE FEBR. DICTI ANNI.
HOC MONVMENTVM POSVERVNT
AMICI
ANNO MDCCCIX.
R. I. P.

EPITAPHIVM

ALIVD.

Hic ego Franciscus, claro de stemmate natus,
Mortuus humana conditione cubo.
Corporis exuuias, vt testamento sanxi,
Huc, vt perficerent iussa, tulere mei.
Vt cum catholicis sensi, vixique superstes:
Sic quoque post obitum consociatus ero.
Exemplo mihi sunt, sanctus quae gessit Ioseph,
Ornatus multis laudibus ore Dei.
Transtulit in Chanaan soboles benedicta Iacobi:
Et tulit ex Phariis ossa paterna plagis.
Transtulit, in Chanaan patrium sepelire cadauer;
Charus vti Ioseph a patre iussus erat:
Ipseque Iosephus, seruili tempore lapso,
Cum dabitur terris, Nile, migrare tuis,
Ante obitum, fratres compellans, adiurauit,
Secum ferre sui corporis exuuias:
Isacidae constante fide, parili et pietate,
Implerunt fratris iussa suprema sui.
Quae de relliquiis laudatus gessit Ioseph:
Eccur non cunctis sint imitanda piis?

In obitu
multis titulis illustrissimi
Christiani Francisci Caroli
L. B. de Eberstein
Basileensis ecclesiae praepositi
de cura pro mortuis
metrum.

Nemo negat, nisi fors humanae monstra figurae,
Dignos esse coli, quos Libitina rapit.
Esse sepulchra Dei munus, sacra pagina tradit:
Paganis pariter sunt in honore viris.
Litterulis pia cura fuit signare sepulchra;
Christiadum vetus vt mos, pietasque tulit.
Huc sunt, quos versus lusit Prudentius olim,
Et testes vsus, officiique pii:
Plurima litterulis signata sepulchra leguntur,
Martyris aut nomen, aut epigramma ferunt.
Nec dicas, haec esse leuis spectacula pompae:
Aurelius veluti nobilis Afer habet:
Magnificum funus, conductus exsequiarum,
Atque sepulturae splendida conditio,
Sunt potius quaedam solatia posthuma viuis,
Quam vita functis manibus auxilia.
Quales autem cunque hi sint, aliique paratus;
Ne tamen ista tibi despicienda putes.
Haec etenim quicunque videtque, legitque, monetur
Tum mortis, tum quam vita sit ista breuis.
Insuper inuitant praeclara exempla bonorum:
Et non indociles, quos imitantur, habent.
Non igitur cippi, quos coemeteria seruant,
Aut monumenta carent vtilitate sua.
Induci lethen tumulis inscripta legenti,
Non pueri credunt: fabula tam stolida est.

Quam tandem procul a vero, quam turpiter errent,
Qui defunctorum commeminisse vetant,
Tullius ostendit, referens, nil suauius esse,
Post obitum claros quam meminisse viros.

. ☉ 1797. 4. Maii.

AVGVSTINVS ANTONIVS GEORGI

Aug. scripturae sacrae professor Romae.

Apud *Italos* natus est anno 1711., in terra *S. Mauri*, quae *Romandiolae* pars est, subdita ditioni pontificis *Romani*. *Bononiae Augustinensibus* eremitis ad *S. Iacobum* maiorem nomen dedit. Silent litteratores, quibus ortus sit parentibus, queis praeceptoribus vsus, vbi, quibusue in scholis elegantioris litteraturae, atque seueriorum disciplinarum studia didicerit. Qui de illo quidquam litteris tradiderunt, *Ossinger Bauarus*, *Björnstähl Suecus*, *Adler Danus*, recensent *Georgium* inter primos *Romae* theologos, mirantur, et extollunt singularem eius in linguis orientalibus peritiam, coniunctam cum eximia morum suauitate atque modestia.

Quantum valuerit in exoticarum linguarum cognitione, produnt ingenii monumenta, quae edidit. Inter ea primum locum obtinet opus praestantissimum, *Alphabetum Tibetanum* inscriptum, vulgatumque *typis sacrae congregationis de propaganda fide. Romae* 1762. 4. mai. Destinatum potissimum est euangelii praeconibus, qui a sede apostolica quotidie mittuntur ad omnes vbicunque terrarum nationes; maxime vero illis, quos ablegari contigerit ad *Scythas*, *Indos*, *Sinos*, hisce finitimos regni *Tibeti* accolas. Ad destruendos errores paganismi, ac fidei veritatem constabiliendam, euoluitur hoc in libro, atque detegitur tota illa fabula de Deo *Butta*, siue *Xaca*, quae longe, lateque in iisdem regionibus ab antiquis temporibus peruulgata est.

Disseritur praeterea de *Butta* altero a clarissimo auctore nunc primum deprehenso, *Tibetanis* praecipue, qui et *Buttantii* dicti sunt, cognito iam inde a seculo christiani nominis primo: idemque non alius esse ostenditur, quam ipsemet Dei filius *Christus Iesus;* secundum quod de eo impie non minus, quam absurde fabulati sunt olim antiquissimi pseudo-christiani, nimirum *Gnostici*, *Basilidiani*, atque his suffragati *Manichaei*.

Huiusce vero postremae sectae conditor *Manes* in *Tibeto* vel maxime pestem som-

niorum suorum disseminasse, pariter demonstratur; ac insuper ostenditur, voluisse teterrimum impostorem pro Deo *Butta*, pro *Christo* scilicet, nec non pro *Spiritu Sancto* iis in locis haberi, et coli. Tandem *Beausobrius*, *Manichaeorum* patronus, merito castigatur, quod veterum ecclesiae patrum fidem, et integritatem in referendis *Manichaeorum* deliriis in dubium vocet; quasi *S. Augustinus*, qui in illo luto aliquamdiu haeserat, idoneus testis esse non possit: vt de ceteris taceam.

Breuius, at significantius est elogium, quo *Ioannes Winckelmannus*, praeses antiquitatum *Romanarum*, et bibliothecae *Vaticanae* scriptor *Georgianum* opus exornat: *Opus*, inquit in eius approbatione, *arduum, et a nemine vnquam tentatum, in quo tum religionis promouendae studio, tum plurium linguarum peritia insigne et pietatis et doctrinae documentum dedit celeberrimus auctor.*

„Reclusit ille in hoc opere penetralia „*Tibetanorum* scientiae, et idololatriae; viam„que commonstrauit, quibus prouincia obti„gerit, in illis regionibus veri Numinis cul„tum edocendi, qua errores strenue profli„gare, et veram, vnicamque salutis doctri„nam expedite propagare possint.“

„Eruditi vero merito ei plaudant; ac„ceptamque ei referant variam, vtilemque mul-

„tarum rerum notitiam, qua, nisi ipse huic „molimini subeundo par fuisset, forsitan sem„per corruissemus."

Quae aduersus doctissimum opus attulit scriptor Gallus: *Recherches philosophiques sur les Américains*, confutauit *Stephanus Borgia*, cardinalis, vir tum scriptis variis, egregiisque editis clarus, tum etiam Musarum et latinarum, et graecarum, et orientalium *Maecenas* optimus; cui sociam adiunxit operam in refellendis anonymi *Galli* obiectionibus *Amaduzzius* abbas.

Opus alterum, quod publicauit, priori suppar, inscripsit: *Fragmentum euangelii S. Ioannis, Graeco-Copto-Thebaicum seculi IV. Additamentum ex vetustissimis membranis: Reliquiae cod. Diaconici, et Liturgica fragmenta veteris Thebaidensium ecclesiae ante Dioscorum. Ex Veliterno Museo Borgiano, nunc prodeunt in latinum versa, et notis illustrata; opera et studio F. Augustini Ant. Georgii. Romae* 1789. 4. mai. De quo quidem *Gabriel Fabricyus*, celeberrimus collegii *Casanatensis* theologus, ita statuit:

Quanti momenti ac ponderis hoc *fragmentum* futurum sit, ad sacrorum aliquot dogmatum, iam vsque a religionis nostrae primis initiis bene constitutam, vetustissimam doctrinam, magis magisque stabiliendam, confirmandam, luculenterque propugnandam, ar-

bitror, fore neminem, nisi nouarum rerum cupidus, et in summa sanctissimae religionis capita male animatus sit, qui non perspiciat.

Laudi praeterea dandum est clarissimo *Fragmentorum* huiusmodi editori, quod suus labor ita comparatus sit, vt litterariae rei *Coptico-Memphiticae*, praesertim vero *Thebaicae*, siue *Sahidicae* penitius cognoscendae lucis affundat plurimum. Quam multa adhuc in eodem primo *Fragmento*, latinis explicato litteris, compareant, quae palaeographiam egregie illustrent; non vno autem, vel altero characterum, siue litterarum specimine illud assequi facile possumus: sed totius *fragmenti*, contextus ratio habeatur, oportet; ex cuius imagine, atque conspectu vniuerso res ipsa melius intelligitur.

Gratiae itaque, vt par est, maximae persoluendae sunt, tum eminentissimo cardinali, qui in commune christianae reipublicae, et bonarum litterarum commodum sacra haec *lipsana* e suo museo lubens suppeditauit; tum *fragmentorum* interpreti fido ac erudito; cuius vtrum magis ingenium, iudicium, perspicientiam veri, diligentiamque praedicemus; an eiusdem exactam liturgicarum rerum vetustae aetatis peritiam, et litteraturae *Copto-Memphitico-Thebaicae* cognitionem accuratam demiremur, haud facile est pronuntiatu.

Quid sit *de inscriptionibus Palmyrenis*

explicuit *Georgius* luculenta *epistola ad eruditissimum virum, Nicolaum Fogginium, canonicum, Corsinianae bibliothecae praefectum. Romae* 1782. 8. mai. Quod opusculum recensitum legitur in *noua bibliotheca eccles. Frib.* Vol. VII. Fasc. 2.

Postrema denique, quam ad me misit, elucubratio, inscriptionem praefert: *De miraculis S. Coluthi; et reliquiis actorum S. Panesniv Mm. Thebaica Fragmenta duo. Romae* 1793. 8. mai. Hoc *Georgii* opusculum offensioni ansam dedit. Ratus est *Paulinus, Carmelita discalceatus Romae*, se, suaque peti, quae de *Indis* scripserat. Incredibile est, quo furore in optimum, doctissimumque senem bacchatus fuerit. Ea cum legerem; apud me tacitus cogitaui: Vndenam tantae animis coelestibus irae? *Georgius* vero siluit ad omnia, malens rem totam relinquere iudicio lectorum iusti et aequi amantium; quam contentionis serram reciprocare cum homine furioso.

Quaerenti, quibus potissimum muneribus fuerit perfunctus; dum vixit; repono paucis: Erat procurator generalis *Augustiniani* ordinis: gerebat aliquamdiu vices prioris generalis, constitutus a pontifice summo. Praefectus erat bibliothecae *Angelicae*, quae ipso agente magnum cepit incrementum, accessione librorum cardinalis *Passionei*, tum ty-

pis editorum, tum manu scriptorum, empta pretio 30000. scutorum. Demum egit professorem publicum scripturae sacrae in archigymnasio *Sapientiae.* Fama erat *Romae*, omniumque sermonibus late percrebuerat, velut iterum iterumque affirmut *Biörnstälius*, patrum purpuratorum collegio *Georgium* adnumeratum iri a recens creato pontifice *Laurentio Ganganellio.* At fefellit rumor. Neque id aegre tulit *Georgii* modestia. Dicebant ex Romanis, qui sapuerunt prae ceteris, esse pulchrius, dignitatem mereri, quam consequi.

Quid tandem sit de eximii viri prosopographia, extremoque morbo, atque ex hac vita discessu, adiungam breuiter. Vt retulerunt, qui propius, et a facie nouerant, erat *Georgius* pusillo corpore, et quanquam cibi, vinique esset parcissimus, satis tamen fortis, ac obesus; ore non inuenusto, naso aquilae in morem, in medio prominente; per omnem fere vitam valetudinis firmae. Annum cum ageret sextum et octogesimum, mense Martio, cum pituita conflictari coepit; quam periculo cum carere putaret: amatis litterarum studiis, more solito, nauare operam perrexit. Verum sentiens, esse malum pertinacius, quod etiam arti medicae cedere nollet; aduertensque, paulatim vires imminui, de supremo die sibi imminente cogitans,

praemissis ecclesiae sacramentis ad vltimum agonem, more christiano se parauit. Durante aegritudine, in lectulo decumbens nullam vocem sapientis grauitate indignam emisit, nullum in vultu minus aequi in morbi molastiis animi signum ostendit; sed spe et fiducia in meritis infinitis diuini redemploris bene animatus, laetusque mortem excepit. Obiit itaque, sensibus integris, die IV. Maii 1797. vir celeberrimus, plenus meritis, cumulatus virtutibus, aetate grauis: atque ex his terris ad meliorem in coelis vitam transiit.

Post obitum, pie defuncti cadauer, *Romano* more, palam expositum fuit. Ad eum postremo conspiciendum conuolarunt *Romani* vndique: et, vt quisque poterat, contendentibus quasi inter se studiis adnisi sunt, sibi quidquam suffurari ex eius reliquiis, vt haberent mnemosynon viri religiosissimi, quem, dum vixerat, habuerant in amore, reuerenterque coluerunt; iis solum exceptis, qui *Georgii* orthodoxiam vocauerunt in dubium, eumque, vt aiunt, *Iansenianorum* in numero censuerunt.

Quae de *Georgio* adduximus, delibauimus tum ex *Ossingeri* bibliotheca *Augustiniana:* tum ex epistolis *Björnstälii;* potissimum vero ex epistola encyclica ad *Augustinenses* per orbem, qua *Stephanus Bellesinus*, moderator supremus *Eremitani* ordinis denuntiauit obi-

tum Reuerendissimi viri, *Augustini Ant. Georgii*; iussitque, vt pro pie defuncti anima in constitutionibus praescripta suffragia ab omnibus persoluantur.

EPITAPHIVM.

Hac sub mole iacet doctusque, probusque Georgi:
In pretio cunctis ac in amore fuit.
Quisquis per mortem claris spoliatur amicis,
Mnemosyno damnum vult reparare suum.
Colligit exuuias, asseruat lipsana. vestes,
Libros, aut quidquid charus in vsu habuit.
Sic sunt Romulidae nixi post fata Georgi,
Quas potuere, sibi carpere relliquias.

In obitu
Reuerendissimi
virtute, doctrina et eruditione eminentis
Augustini Ant. Georgii
Augustiniani
sacrae scripturae professoris
in archigymnasio sapientiae
Romae
Carmen
in verba apostoli: Desiderium habens dissolui. Philipp. I. 23.

Georgius loquitur.

Dissolui cupio, Paulo praeeunte, tibique.
Ac regno iungi, maximae Christe, tuo.

In terris quid enim, vel quae solatia sperem?
Omnia sunt luctu plena, referta malis.
Reppetiit coelum, terrasque Astraea reliquit,
Tritum sacrilego ius iacet omne pede.
Exul agit germana fides, candorque pudorque:
Sunt procul a tectis, Itala terra, tuis
Virtus, et probitas probro est: ceu nomina vana
Derident totum relligionis opus.
Id, quod cuique lubet, credunt, aut credere nolunt.
Qualis relligio, quam sibi quisque facit?
O vtinam non sint, qui, praedicente propheta,
Esse Deum dubitant; deteriusue negant.
Plenos sole dies, et lucida tempora iactant:
Omnia cum sepelit, nox et opaca tegit.
Artibus ingenuis superincubat atra caligo.
Vt prope sit, vel par barbariae Scythicae.
Quis meminisse queat tot lites, iurgia, rixas,
Sexcentas strages, bella cruenta, neces?
Quot genus humanum consumunt vndique curae,
Agmina morborum, pestiferaeque lues?
Ergo voluptates, nummi, titulique valete!
Cumque tuis opibus terra caduca vale!
Terra caduca vale! felicior inde profectos
Sors manet, et sedes omnibus orba malis.
Hic locus, haec patria est omni cumulata bonorum
Congerie, et Christi regna beata Dei.
Quis non exoptet, solui de corpore mortis,
Et regno iungi, maxime Christe, tuo,
Hoc vouet, hoc optat diuinus apostolus: haec sint
Sancti christiadum candida vota gregis!

Θ 1797. 22. Ian.

PHILIPPVS STEINMEYER

professor philosoph. Friburgi.

Annos multos longa, et familiari consuetudine mihi coniunctus, ingenii et doctrinae dotibus, morumque integritate plurimum excelluit. Quae ex ipsius ore de sua vita, suisque studiis comperi, in praesentia referam.

Familia *Steinmeyeriana* sedem olim suam *Friburgi Brisgouiae* fixam habuerat. Erat honorata: atque ex illa erant alii senatorii ordinis; alii ornati muneribus publicis aliis. Auus nostri *Philippi* sedem mutauit, transtulitque *Elwangam*, praefecti politici functus officio. Pater *Steinmeyeri* nostri legum discendarum causa missus *Wirceburgum*, matrimonio sibi iunxit filiam cuiusdam ciuis, coriarii; vnde genitus est *Philippus*. Studiis academicis absolutis; remigrauit in patriam pater cum vxore; relicto *Wirceburgi* filiolo in aedibus ac sub cura aui, auiaeque.

Quam beneuolum sibi habuit auum; tam tetricam expertus est, et plus quam nouercam,

auiam. Dum aetas ferebat, religionis, litterarum, et musices elementa didicit. Post frequentauit gymnasii scholas, in quarum laudes saepe erupit, commendans illas a disciplinae rigore, discentium industria, atque peritia magistrorum. Quanquam vero inter primos censeretur suorum condiscipulorum: fassus tamen est, in litterarii anni fine nunquam se fuisse donatum praemio.

Rhetorices emenso studio, cum esset annorum fere sexdecim, profectus est *Elwangam*, visurus parentes. Habuit ibi cognatum sodalitati *Iesuiticae* adscriptum, qui omnem dedit operam, vt eidem societati nomen daret. Placuit adolescenti institutum. Annuit, et paulo post in tirocinii locum est abductus. Egressus tirocinio, iussus est repetere humanitatis studia; atque discere diuersis in collegiis sublimiores philosophiae et theologiae disciplinas.

Hunc in modum institutus, ludum litterarium ipse aperuit, perpoliens teneros adolescentum animos, doctrina politioris litteraturae, qua possent animi sensa perspicue atque ornate, et cum aliqua gratia, copia, et dignitate explicare. Praepositus postmodum sublimioribus cathedris non vno in *Athenaeo*, vt ferebat mos *Iesuiticae* sodalitatis, diuinae humanaeque sapientiae studiosis theologicae atque philosophicae doctrinae praecepta tradidit.

Non possum mihi imperare, vt hoc loco dissimulem, quod non semel in familiari colloquio apud me conquestus est, peruersam scilicet studiorum rationem, et docendi formam *Iesuitis* propriam. Praescribebant suis certos auctores, vltra quos sapere nemini licuit. Aegre id habuit nobilem ac generosum *Philippi* animum. Nauseabat rancidas dapes obsoletae philosophiae sibi obtrusas; cum *Wolfius* offerret longe meliora. Vt discendi ardorem, quo flagrabat, restingueret: nihil intentatum reliquit, vt *Wolfianas* lucubrationes sibi compararet. Fidelium amicorum ope rem peregit; acceptaque *Halensis* philosophi opera caute custodiuit, sub stramento lectuli occultans, ne deprehensus quasi proditae patriae, aut perduellionis reus ageretur

Quae in scriptis *Wolfianis* non satis intelligebat *Steinmeyerus*, per litteras proposuit *Wolfio*; qui pro sua humanitate dubitanti respondit, soluit nodos, scrupulosque sustulit. Atque hinc natum est epistolare commercium, inter vtrumque continuatum vsque ad alterutrius obitum. Quin cum haeredes ex *Steinmeyeri* epistolis cernerent veterem, arctamque necessitudinem inter ipsum pieque defunctum, intercessisse: sui officii esse putauerunt, amici mortem amico denuntiare. Atque haec omnia clam habenda erant, et oc-

cultanda maiore studio, quam picae occultant aurum. Itaque maximopere est gratulandum *Steinmeyero* nostro, quod anno 1773. quo solutum est apud nos sodalitium *Iesuiticum*, liberatus sit ab illa ingenii tyrannide; redditaque sibi sit facultas libere philosophandi; vt est hominis liberalis, et ingenui.

Quam viuendi rationem tenuerat, cum tenebatur collegio, eandem constanter retinuit redditus seculo. Itaque amans solitudinis, in litteris totus erat, consumebatque tempus omne legendo, scribendoque latine, graece, et hebraice. Neque erat segnis *bibliothecae eccl. Frib.* adiutor, ad quam frequens symbolas contulit. Quae edidit monumenta ingenii, delibauit pleraque ex *Wolfii* scriptis, quae-redacta in compendium euulgauit in studiosae iuuentutis commodum. Cum moreretur, in eo erat vt ex operibus *Wolfianis* excerperet omnis generis definitiones; quod quidem opus, mole non exiguum, parte magna absolutum, imperfectum reliquit, anno aetatis 86., quod mirum est in homine, qui gracilis erat corpusculi, et inualidae per omnem fere vitam valetudinis. En quo non conducat vita moderata, et diaetae salubrior vsus. Morbus postremus, qui seni optimo vitae, et laborum finem attulit, erat debilitas, aut virium defectio, nata ex senectute, quae ipsa est morbus. Cetera, quae attinent *Steinmeyerum*,

edocet tum inscriptio sepulchralis, tum elegia illi adiuncta.

Inscriptio lapidis sepulchralis in coemeterio Friburg.

H. S. E.
PHILIPPVS STEINMEYER
WIRCEBVRGENSIS
PHILOS. AC THEOLOG. DOCTOR
DE
HVMANIS DIVINISQVE DISCIPLINIS
ET
INSTITVTIONE IVVENTVTIS LITTERARIAE
ANNOS LX. BENE MERITVS
VIR
SINGVLARIS IN OMNI VITA MODESTIAE
VERAEQVE IN DEVM PIETATIS
EDITIS LVCVBRATIONIBVS
CLARVS
Θ ANNO XTI. MDCCLXXXXVII.
X. KAL. FEB.
VIXIT ANNOS LXXX. M. III. D. XVII.
HOC GRATI ANIMI MONVMENTVM
POSS. HAEREDES
ALEXANDER ET ANNA RVNK.
CONIVGES CIVES FRIBVRG.

EPITAPHIVM

ALIVD.

Hac sub mole cubat doctusque, piusque Philippus,
Annorum serie, consilioque grauis:
Francia cui cunas, et primum praebuit ortum:
Defuncto tumulum Priscia terra dedit.
Hic vbi Friburgi surgit praenobile castrum;
Et Trisamus gelidis compita tingit aquis.
Hic placida sancti cineres in pace quiescant;
Donec cunctipotens gaudia plena dabit.
Haec scripsit lugens, haec vouit amicus amico;
Haec quicunque legis: iungito vota meis.

Viro
multis titulis ornatissimo
Philippo Steinmayer
professori philosophiae Friburgi
soluta ab amico
Iusta.

Postquam triuisti vitam, venerande Philippe,
Doctrinis iuuenes erudiendo bonis:
Postquam longaeuis ad commoda publica curis
Intendisti animum nocte, dieque tuum:
Postquam in Parnasso clarum te magnus Apollo
Iussit habere locum: te Libitina rapit,
Te Libitina rapit, studiorum publica pestis:
Quae bifido de monte optima quaeque rapit.
Non illam absterret sancti reuerentia montis:
Effera sternit humi, quidquid Apollineum est.

In te visa fuit titulos, causasque nocendi
Inuenisse graues, multiplicesque sibi.
Philologus, rhetor, logicus, physicusque, poeta,
Musicus, ethicus es: criticus, historicus.
Quare te merito magnam polyhistora dicunt;
Et clarum super haec cuncta mathematicum.
Nec satis haec; etenim linguarum dotibus amplis
Instructum cuncti te stupuere viri.
Cognitio Ausoniae, Hebraeae, linguaeque Pelasgae
Maior erat tibi, quam credere quisque queat.
Si mors ingeniis est claris semper iniqua:
Tantum non mirum est abripuisse virum.
Qui cum funereum gelidus ferretur in antrum:
Vnus erat, tales qui dedit ore sonos:
Heu miseros! hodie logicam tumulauimus. Esto
Effatum hoc instar funebris elogii!

Θ 1797. 3. Mart.

MICHAEL FRITZ

abbas in St. Mergen.

Horbae ad *Nicrum* natus, oppido anterioris *Austriae* in comitatu *Hohenbergensi*, nunc ditionis *Würtenbergicae*, absolutis cum laude humanioribus et philosophiae studiis in *Iesuitarum* scholis *Rottenburgi ad Nicrum*, iuuenis cooptatus est in collegium canonicorum regularium *ad cellam B. V. Mariae*

(St. Mergen) in silua nigra haud procul *Friburgo*. Peracto sacri tirocinii anno, emissisque solemnibus votis, a suo abbate missus est *Friburgum*, vt in illa academia *Iesuitarum* magisterio institueretur theologicis disciplinis; ius autem pontificium perdisceret a *D. de Reinhart* celebri illa aetate apud nos sacrorum canonum interprete.

In illa quidem litterarum studia, quatuor annorum curriculo, ea sedulitate incubuit, vt doctrinae laude inter primos emineret; ac post suum ad suos reditum dignus censeretur, qui iunioribus canonicis sacrae theologiae dogmata explicaret. Praeclare functus professorio munere, electus est in sui collegii *decanum;* atque constitutus animarum pastor, qui curam gereret *Sant-Mergensis* parochiae, decumanis cum laboribus coniunctae. Cui muneri, vtut arduo, ita praefuit pastor integerrimus, vt nulla in re desiderari suam operam passus fuerit, nullam valetudinis, nullum vitae veritus discrimen.

Anno 1766. post obitum *Petri Michael* electus est abbas, ea sparta dignissimus, ob egregia, quibus excelluit, ingenii, doctrinae, ac virtutum ornamenta. Omnium certe animos sibi conciliauit elegantia, et suauitate morum, candore animi, integritate vitae, prolixoque cunctis gratificandi studio, suis, exterisque longe acceptissimus.

Anno 1767. sanxit *Maria Theresia*, imperatrix, vt *Friburgi*, quemadmodum in aliis Austriae sceptro subditis academiis, ornandae, amplificandaeque rei litterariae commodo, singulis artium, et scientiarum facultatibus directores praeessent, quasi quidam ephori, qui curam haberent, vt in sacris Musarum castris omnia fierent ad praescriptum legum. Erant itaque hi studiorum praesides quasi *Catones* quipiam, qui censoria virgula sedulo notarent siue magistros siue discipulos, quos aduersus disciplinam academicam, siue in studiis litterarum, siue in morum integritate a recto tramite palam deuiasse cognouissent. Tantum intererat sapientissimae litterarum protectricis, iugiter inuigilare, nequa labes, aut pestis teneros iuuentutis studiosae animos corriperet, ad rei publicae interitum.

Primus, ab Augusta denominatus, qui *Friburgi* theologicae facultati praefuit, erat reuerendissimus Dominus L. B. *de Beroldingen*, ecclesiae cathedralis *Hildeshemiensis* canonicus; qui cum longius, saepiusque hinc abesset; post vnum alterumue annum eo munere se abdicauit.

Iussibus regiis, surrogatus est in locum *Beroldingeri Michael* abbas; qui demandatam sibi prouinciam ea, qua par est, fide administrauit. Inter cetera directorum munia non postremum erat, adesse, immo praeesse

examinibus, quae in fine scholastici anni erant subeunda litterarum alumnis, vt documenta darent, qua sedulitate, fructu confecerint litterarii anni curriculum; pro meritis recepturi testes litteras. Quam potens id fuerit calcar, ad scientias, et artes ingenuas alacriter capessendas, colendasque, plurium annorum, quorum decursu illud institutum erat in vigore, experientia affatim docuit.

Equidem directoris munus, nescio quas ob causas, abrogatum fuit, viuente adhuc *Michaele* abbate; at paucis post annis, cum palam esset, rem litterariam ire in deterius, quod *superattendentium* cura careret: idem munus in *Austriacis* scholis postliminio est restitutum: dum interea *Brisgoia* cum suo *Athenaeo* aliis et aliis principibus subderetur.

Supremam clausit diem ornatissimus praesul aetatis anno 60. postquam abbatis munere erat perfunctus annos 30., haemoptysi, quacum diu erat conflictatus, tandem consumptus, magno sui desiderio apud omnes bonas relicto.

Frustra fui, in conquirendis subsidiis, quibus dignissimi abbatis notitia necrologica plenior redderetur. A canonicis collegii, cui praeerat, mihi responsi loco datum est, apud *San-Mergenses* non dari necrologium pluribus contextum verbis; sed nuda fere nomina

referri defunctorum; quin de vita, moribus, studiis, meritis quidquam adiectum inueniatur. Ex eorundem testimonio didici, abbatum tumulos non signari sepulchrali inscriptione. Quae itaque retuli, comperi potissimum, ex vsu, et consuetudine cum pie defuncto habita. Hinc pariter est compertum mihi, quamuis nihil euulgauerit typis, fuisse illum litterarum amantissimum, et cultorem indefessum, multaeque lectionis, atque bibliophilum, si modo opes, et facultates permisissent, in comparandis bonis auctoribus, nemini secundum. Adiungo epitaphium, quod ipsius nomine conscriptum est:

MICHAEL FRITZ ABBAS
HIC SITVS SVM
HORBAE AD NICRVM NATVS
COOPTATVS IN COLLEGIVM CANONICORVM
AD CELLAM VIRGINIS DEIPARAE
IN SYLVA NIGRA
FVNCTVS PRIMVM MVNERE PROFESSORIO
FACTVS DEINDE COLLEGII DECANVS
ET SANT-MERGENSIS ECCLESIAE PASTOR
POST ABBAS COLLEGII
DEMVM REI THEOLOGICAE DIRECTOR
FRIBVRGI.
REBVS ADVERSIS AFFLICTVS
INTER BELLI TVMVLTVS
CECIDI.
ANNOS VIXI LX.

EIVSDEM PRECATIO AD CHRISTVM, FILIVM DEI.

Christe salus hominum, meritorum aequissime censor,
Seruulus ecce tuus, carne solutus obiit.
Dormit, et expectat, quo mentem examine verses,
Peccaui, fateor. Commiserare reum.
Horrida criminibus nostris auerte flagella:
Ex nihilo factum respice plasma tuum.
Respice; qui tua sum viua, atque perennis imago;
Quod fuit ex terra, terra nouerca vorat.
Quae venit ex celso mens praestantissima coelo,
Iconă rex sanctam suscipe magne tuam.
Tu vitam, et mores, animi tu condita nosti:
In te confido, spes mea, vita, salus.
O miserere mei, rex clementissime regum;
Indulge; famulo parce, benigne, tuo.

EPITAPHIVM

ALIVD.

Hac vrna recubans Michael cum contegeretur:
Confregit mystes pontificale pedum,
Iniiciens tumulo: Sic transit gloria mundi,
Aiebat, condens corpus inane solo.
Haec quicunque audis; tumulari forte putares
Aut regem magnum, magnanimumue ducem.
Absit. Praesul erat, quo non moderatior alter,
A pompa, fastu, ac ambitione procul.

In obitum
Reuerendissimi et amplissimi
D. Michaelis Fritz
Abbatis ad Cellam B. V. M.
in silua nigra
rei theologicae directoris
Friburgi
Carmen.

Primo vere redux, crepitante ciconia rostro,
Cum repetit nidum, qui fuit ante, suum,
Experrecta noua cum vere rediret hirundo;
Posteaquam terris cesserat acris hiems:
Cumque nouo tellus reuirens se gramine vestit,
Et repetis cantus, o philomela, tuos:
Cumque suum tereli rursus cantillat alauda,
Carminibus satagens rus animare nouis.
Errabam tacitus, charis spatiatus in hortis,
Spectaturus spes, Flora renata, tuas.
Mirabar violas, narcissos, ac hyacinthos,
Prima renascentis dona beata soli.
Nuntius ecce venit; venit et noua causa dolendi,
Funere perturbans gaudia nostra nouo.
Occidit antistes, quo non mihi charior alter;
Praestans doctrina, relligione potens.
Quam cito vilescunt animo, mea gaudia, campi:
Quaecunque aspicerem, plena doloris erant.
Praesulis erepti versatur tristis imago
Ante meos oculos, quem Libitina tulit.
Solus eram: nec erat, fractum qui vulnere pectus
Leniret, verbis erigeretque suis.
Post longam luctam, post tot tormenta dolorum,
Mens rediit melior: mensque leuata fuit,

Quid frustra luges? tacitus me sic reprehendi:
Exemptum viuis est doluisse nefas.
Coelesti fruitur vita, tutusque malorum est.
Quae modo nos cruciant, quaeque futura manent.
Tristia multa ferox etenim Bellona minatur,
Sanguineas toto quae rotat orbe faces.
Vt taceam pestes alias, quibus vndique vita
Impetitur, longum quas numerare foret.
Ergo mali nihil est passus felicior abbas,
Morte obita; pax est, et sibi parta quies.
Ereptus terris, summoque locatus olympo est:
Quis non pro terra malit habere polum?

☉ 1797. 7. Iul.

CHRISTIAN. WILHELM. SCHNEIDER

superintendens Isenacensis.

Natus *Martinrodae* prope *Illmenauium*: antea *Vinariae* consistorii ecclesiastici consiliarius; postea apud *Isnacenses* supremus sacrorum antistes, quem *Superintendentem* vocant, *actorum historico-ecclesiasticorum* collector sedulus, atque editor, amicitiaeque semel contracte cultor minime negligens; qui commercio epistolari mutui amoris fouere igniculos, et epistolis peramanter eleganti sermone latino exaratis, statis temporibus adiungere munuscula litteraria non destitit.

Placuerunt scribentis epistolae. Placuit sigillum, quo erant munitae. Exhibet Saluatoris ligno crucis affixi imaginem; qui, teste apostolo, iudaeis *scandalum* erat; et gentibus *stultitia*. Nunc autem apud christianos degeneris vtrumque. Eo enim res christiana delapsa est, vt pudeat euangelii. *Acta historico-ecclesiastica* perlegenti perspicuum est, inter degeneres christianos ingentem esse multitudinem, qui profiteantur *gentilismum*, neglectisque dogmatis fidei, ad religionem non referant, nisi praecepta morum. Vtinam semi hi christiani, quid in euangelicis, apostolicisque scripturis de gemino christianorum officio, de theoretica nimirum et practica christianae religionis parte praecipitur, attenta mente pensitarent: cernerent procul dubio, ad cultus religiosi, quem Christus praescripsit, integritatem ex aequo requiri et credere, et agere. Sed diuinis oraculis, quae arbitratu suo in omnem partem torquent, incredulae turbae nolumus esse molesti. Rogatos potius esse velimus, vt, siqua illos cura tangit salutis, beataeque immortalitatis, animo repetant primitiuae ecclesiae instituta, doctrinam, fidem. Habuit omnis ecclesia vetus, quae alicuius erat nominis, peculiare sibi symbolum fidei. Qui baptizabantur, recitare tenebantur, *profiteri*, *dare*, *reddere symbolum* illius ecclesiae in quam recipiebantur. Erant

haec symbola, substantiam si spectaueris, vti concordantia inter se; ita non continebant nisi fidei christianae capita theoretica. Quae disciplina cum constanter obtinuerit apud veteres christianos, quod nemo ignorat nisi ignorantissimus, nemo negat nisi peruicacissimus, et ad insaniam impudens: euidens est, quam necessariam homini christiano crediderint esse cognitionem, atque fidem dogmatum credendorum. Quisquis ergo eorum necessitatem reiicit, reiicit quoque, et damnat omnem ecclesiam veterem, institutam a *Christo*, eruditam ab apostolis, et a viris apostolicis, eorumque discipulis propagatam. Quicunque tantis auctoritatibus non mouetur: nae ille excors sit, aut ferreus.

Vt reuertamur ad nostrum amicum, cuius *acta hist. eccl.* nos in hanc digressionem perduxerunt; non est reticendum, quod *Semleri* causa aliquando ad me perscripsit. Erat publicata in *bibl. eccl. Frib.* censura aduersus *Semleri* institutionem ad doctrinam christianam liberaliter discendam. Placuit censura amico prudenti, pio, et de re christiana sollicito; optauitque, vt surgerent plures, qui commentis *Semlerianis* obsisterent, impugnarentque nouitium illud noxiumque religionis principium; quod inter primos praedicauit apud *Lutheranos*, statuitque *Semlerus*:

Quidquid credideris; aut non credideris: Saluus eris: modo recte vixeris. Cum tandem non deessent, qui recensionem illam *bibliothecae eccl. Frib.* illatam suspicarentur a *Lutherano* quodam, aut vt *Semlerus* loquebatur, a falso quodam fratre profectam esse; repetitis vicibus rogauit me *actorum hist. eccles.* editor, vt quis esset recensionis auctor, sibi significarem. Pollicito silentium indicaui.

Copiosius eius vita describitur, in *Baieri* promtuario vniuersali, destinato vsibus praeconum ecclesiasticorum Parte VI.; cui pariter est praefixa eius imago, insculpta aeri; quod opus cum ad manum non habeam; lectores rogatos velim, mea qualicunque hac symbola contenti vt sint; paene certus, de his, quae attinent familiare commercium, quod me inter atque praestantissimum *Isenacensium* antistitem intercesserat, in promptuario *Baieri* nihil contineri.

Monumenta ingenii, quae iuris publici fecit, recenset *Meuselius.*

EPITAPHIVM.

Viator et genius colloquuntur.

Quem tegit iste lapis, Christi quem signat imago
E cruce pendentis, sanguine nostra suo

Qui peccata luit Soter, verusque redemptor,
Pro genere humano victima caesa, salus?
Wilhelmus iacet hic, Christi de nomine dictus,
Sacrorum praesul, duxque decusque gregis.
Ephorus intento vigilauit lumine, fures
Pellere sollicitus, lethiferosque lupos.
Moerentum sano lacrymas sermone leuauit:
Nec leuis aegrotos visere cura fuit.
Pauperibus, mira promptus bonitate iuuare,
Auxilium laeta fronte, manuque tulit.
Sobrius, humanus, simplexque, modestus, et osor
Desidiae, luxus, omnigenique mali.
Forma gregis fuerat, cunctis imitanda paroecis,
Cuius erat virtus nota, probata fides.
Haec quicunque leges, hominum memor esto: memento,
Quam sit vita breuis. Disce timere Deum.

In obitu
Ingenio, virtute, doctrina
praestantis viri
Christiani Wilhelmi Schneider
Superintendentis Isnacensis
ad pie defunctum
amici Friburgensis
epigramma.

Abs te, chare senex, mihi venit epistola multa,
Testis amicitiae, tessera grata, tuae.

Scribentis placuit candor, placuere sigilla,
Quae fuerant chartis tam pia fixa tuis.
E cruce pendentem referunt signacula Christum,
Qui nobis vitam, iustitiamque dedit.
Quod stultum est aliis, Paulo praeeunte magistro,
Haec tibi crux Christi gloria summa fuit.
Confundis vanos Christi, fictosque sequaces,
Quos pudet, et sancti taedet euangelii.
Historicus vitas, et nostri temporis acta
Colligis, et magno gesta labore refers.
Enarras lites, feralia schismata, bella,
Quae turbant hodie, christicolasque premunt.
Non retices gentis molimina praua profanae,
Quae Christi extinctum nomen in orbe cupit.
Collaudent alii virtutes, ingeniique
Dotes, quae mentem perpoliere tuam.
Te celebrent alii, quibus est facundia maior,
Carmina queis vena nobiliore fluunt.
Istud ego vere praesenti epigrammate testor,
Laudando nullum par epigramma fore.

⊙ 1798. die 23. Apr.

SEBASTIANVS SEEMILLER

professor theologiae Ingolstadii.

Veldenium in Bauaria inferiore solum natale habuit, in lucem editus an. 1752. die 17. Oct. Docuit in collegio *Pollingano*, cui erat adscriptus, theologiam et linguas orientales annos quatuor. Anno 1781 vocatus *Ingolstadium*, doctoris publici functurus mu-

nere, easdem disciplinas hoc in Athenaeo palam professus est, vir indefessi laboris, et incomparabilis industriae annos tredecim.

Praefectus bibliothecae academicae diligenter recensuit, ediditque, quos illa seruat, antiquos codices, inde ab inuentae typographicae artis temporibus. Quae publicauit programmata, plena eruditionis sunt, et bonae frugis; recensita a litteratoribus.

Quemadmodum de vita, et scriptis *Ioannis Angeli, Aichacensis Boii*, accurate disseruit; ita fixum, animoque deliberatum habuerat, enarrare ea, quae vitam atque scripta *Ioannis Eckii* attinent. Quam in rem per litteras a me poposcit symbolas, rogauitque, vt de *Eckio*, qui apud nos, antequam *Ingolstadium* peteret, publici professoris munere functus est, secum communicarem, quae de illo in actis nostris academicis occurrunt. Amici votis, vt par erat, satisfeci, et sedulo perscripsi omnia, quas volebat. Sed nescio, quam ob causam destiterit a proposito. Neque enim, dum vixit, *Eckiana* biographia vidit lucem.

Rogaui *Seemillerum*, an non sibi sit cognitum prolixum carmen elegiacum: *Threni magistri nostri Ioannis Eckii, in obitu Margarethae* etc. Satyra calumniarum plena, auctore *Simone Lemnio*. Sed erat is genius illius aetatis. Lacessiuit *Lemnius* non *Eckium solum*, *Cochlaeum*, *Myricaeum*; verum etiam

Ioannem Fabrum, integerrimum *Viennensem* episcopum, de religione aeque ac bonis artibus, litterisque optime meritum.

Rogaui praeterea, an non viderit epistolam *Sinceri Constantii* (nomina ficta) ad *Ioannem Eckium*, quae incipit: *Legi epicedion, quod tu in obitu* etc. Adiunctum est huic epistolae epitaphium *Eckii*, quod epistolographus aliquando se positurum pollicetur; nisi ad frugem meliorem sit reuersurus. En epitaphii initium: *Hic sus magne iaces* etc. ex quo coniectura est de reliquis.

Promisi *Seemillero*, paratum me esse, scriptum vtrumque sibi impertiri; si vellet. At nihil istiusmodi petiit. Nolim mihi persuadere, hisce calumniantium dicteriis absterritum, se abstinuisse ab *Eckii* vita perficienda, edendaue. Sunt alia, quae mentem ab illo proposito dimouere potuissent.

Inter ea, quae reliquit monumenta ingenii, non postremum tenent locum, quae ad litteraturae hebraicae cognitionem referuntur, commemorata a *Meuselio*. Est ea familiaris sacrorum interpretum loquendi ratio, vt, qui scripturae sanctae volumina interpretanda sibi sumunt, liberalius polliceantur, se vertisse sua *ex ipso fonte hebraeo*, eadem phrasi, modoque pollicitandi abreptus, opusculis quibusdam in fronte eandem hederam praefixit; promisitque, *ex ipso* fonte hebraeo latinos

se fecisse, psalmum 109. psalmos 7. *poenitentiales;* vna cum 15. *gradualibus.* Ego vero, vt fatear, quod sentio, impetrare a me nunquam potui, vt mihi persuadeam, splendidam promissionem fidem mereri. Cum enim, vt norunt eruditi, *ipse fons hebraeus* non constet nisi ex litteris consonantibus, puncta autem vocalia sequentibus demum aerae christianae seculis, post sancti *Hieronymi* tempora, studio masoretharum *Tiberiensium*, adiecta sint: cumque sit aeque perspicuum, vix reperiri, qui absque subsidio vocalium punctorum legere, aut intelligere mysticae scripturae arcana verba possint: palam est, quid de magnifica illa interpretum pollicitatione sit statuendum. Absit inuidia verbo!

Eorum, quae de *Seemillero* hucusque in medium attuli, potissimam partem mihi suppeditauit commercium litterarium, quo pie defuncto coniunctus eram. Accessit amici epistola, qua sum factus certior de vltima aegritudine, die et anno emortuali.

Labente in peius valetudine, *Ingolstadiensem* cathedram abdicauit *Seemillerus* anno 1794. Ad suos redux, obiuit in collegio *Pollingano* munus bibliothecarii; donec viuis excederet, praeualente hydropis morbo; anno aetatis 46. Qui si vitam protraxisset in longius, spes fuisset, fore illum haud inferiorem *Eusebio Amort*, qui eiusdem collegii de-

cus erat, et ornamentum singulare; inter omnes certe *Germaniae* theologos facile princeps. Neque enim e tanto numero a ducentis annis, et quod excurrit, vllum habemus, quem valeamus cum *Amortio* comparare; tantum abest, vt ex omni illo grege quisquam sit eruditissimo illi canonico anteferendus

EPITAPHIVM.

Quam cito praeripuit mors immatura Sebastum?
Praeripuit charis, praeripuitque scholis.
Annos vix senos, cum lustris octo peregit.
Hac est defunctus contumulatus humo.
Diuae, nocte satae, ruperunt stamina; meque
Longius in terris noluit esse Deus.
Me Deus arcessit de ignobiliore palaestra,
Viserem vt aeternae docta Lycea scholae.
Sunt procul hinc tenebrae, caligo, noctis opaca;
Sed nitet aeterno lumine clara dies.
Verba prophetarum, arcanae mysteria legis,
Clarius in superis sunt patefacta scholis.

In obitu
Virtute et eruditione praestantis
Sebastiani Seemiller.
Canonici Reg. Pollingani
Sacrarum litterarum professoris
Ingolstadii
Collegii Pollingani
Threnus.

Sic, vir clare, fugis? mea sic sacra castra relinquis,
Culmina Phoebaeis suspicienda viris?
Sic medio in cursu Clariae tot pignora turbae
Deseris, et moriens, non rediturus abis?
Complesti quatuor decades aetatis, et annos
Vix senos, Atropos dum tibi fila scidit.
Dignus eras, Pyliae transscendere secla senectae,
Dignus, perpetuo veris honore frui.
Spes erat, vt per te rediuiuus Amortius ad nos
Sit rediens, nostrae gloria magna domus.
Inuidit sed Parca virum: tam nobile coeli
Abripuit donum; restituitque polo.
Quis, vir magne, tuae referat praeconia laudis?
Quis memoret dotes, scriptaque clara canat?
Ingenium sophia excoluit iuuenilibus annis:
Imbuit et sacris cultibus alma fides.
Relligio fingit priscos sine crimine mores:
Relligioque tibi nonnisi prisca fuit.
Noxia displicuit nouitas, reprobataque priscis
Patribus, errorum perniciosa lues.
Cultus eras linguis, quae doctis, siue Pelasgis
Siue Palaestinis, cognita, trita fuit.
Talibus ingenii donis animique beatus,
Concellita bonus, vixit; et occubuit.

Corpus habet tellus; sed spiritus alta petiuit:
Celsior aethereo gaudet, ouatque polo.
Frustra igitur flemus: superum qui viuit in aula;
Quemque vetat famae buccina clara mori.

☉ 1798, 18. Sept.

GEORG. ANDREAS WILL

Polyhistor et professor Altdorf.

Si rogas, cuias fuerit *Georg. Andr. Willius*, Eous *Francus*, patria *Michelbachensis*, *Norimbergensis* quondam reipublicae pago. Si genus quaeris, honoratum est; nam patrem habuit pastorem animarum, matrem *Annam Helenam*, diaconi *Norimbergensis* ad *S. Laurentium* filiam; auos, proauosque plures, qui inde a ducentis annis doctrina clari variis in ditione *Norica* praefecturis functi sunt, muneribus honorificis. Nosse cupis studia litterarum, quae coluit? Erat veri nominis polyhistor, et coluit omnis generis bonas artes; praestans ingenio acri et subtili, atque sedulitate incomparabili. Et quid tandem de moribus? Excelluit optimis.

Anno aetatis septimo reliquit natale solum, et cum patre *Norimbergam* commigrauit, qui pastorali commutato munere, quod ruri obierat, cum *diaconatu* in ptochotropheo *ad sanctum spiritum*: inde ab anno 1734 operatus est sacris; paulo post constitutus diaconus in ecclesia *Laurentiana*. Parens, quantum per valetudinem licuit, instituit filiolum latinis, graecis, et hebraicis litteris; curauitque, vt in scholis *Noricis* cetera, quae ad humanitatis studia pertinent, plenius edoceretur. Inter praeceptores, quibus vsus est, non sine grati animi, et honoris testificatione commemorat, viros cl. *Colmar*, *Sederer*, *Drümel*, *Würfel*, *Wiedmann*, *Mörl*, *Negelein*, *Doppelmayr*, *Munker*, *Kiener*, *Knopf*.

Litterariis opibus, quibus via paratur ad scholas academicas, satis instructus, anno 1744. *Altdorfium* petiit. Inter illos humanarum, diuinarumque rerum professores praecipue magni fecit *Schwarzium*, a quo eloquentiam Theodiscam didicit, et methodum atque facilitatem disputandi. Quantum haec valeat, si suis limitibus continetur, ad intellectus perfectionem, et cognitionem veri, propria experientia edoctus palam fatetur; neque negat, linguam latinam disputationum exercitio multo esse accommodatiorem, multisque modis vtiliorem quam vernaculam. Praeter *Schwarzium* audiuit ex philosophis *Spie-*

sium, *Nadlerum*, et *Adelbulnerum*. In theologicis magisterio vsus est *Tresenreuteri*, *Bernholdi*, et *Baieri*, a quibus valde amabatur. Anno 1745. aetatis an. 18. conscripsit suo Marte dissertationem philologicam *de Nethinaeis leuitarum famulis*, publice propugnatam, praeside *Baiero*. Anno sequente dissertationem edidit *de foro Appii et tribus tabernis*, quam tuitus est, praeside *Schwarzio*, ad obtinendam magisterii philosophici supremam lauream.

Vt magis se perficeret in sapientiae studiis, peregrinationibus litterariis se dedit adolescens discendi cupidissimus. Abiit itaque *Halam Magdeburgicam*. Moratus ibi annos duos, nonnullas philosophicas atque theologicas praelectiones excepit; studuitque gratiam et amicitiam inire cum litteratoribus magni nominis, *Michaelis*, *Knapp*, *Böhmer*, et illustrissimo *Wolfio*, et pendere ex eorum ore. Cognita apud *Halenses* fama de doctrina et eruditione multiplici, qua erat exornatus, decreto collegii philosophici facultas ipsi impertita est habendi praelectiones philosophicas, philologicasque; quanquam vigesimum aetatis annum necdum exegisset. Data facultate vsurus, docendi munus adiit; obiitque, quamdiu *Halae* tenebatur, magno cum applausu. Atque ex eo tempore adeo est delectatus philosophicis studiis, vt theologicis,

quorum amore antea ducebatur, paene valediceret.

Relicta *Hala*, anno 1748. *Lipsiam* concessit. Visit viros *Mercuriales*, vt *Virgiliano* vocabulo vtar. *Telleri* potissimum, et *Gottschedii*, a quibus quod beneuolenter acceptus fuerit, praedicat humanitatem. Diuertit *Ienam*, amplexurus aestimatissimum quondam suum praeceptorem, *M. Schaubertum*, post familiarem amicum. Etsi vero et *Halae* et *Lipsiae* oblatus sibi fuerit locus, et occasio data, obtinendi muneris professorii: maluit tamen reuerti in patriam; quo illum reuocabat inter cetera matris viduae, adhuc superstitis, *filialis* amor.

Norimbergae salutata matre, paucis post diebus remeauit *Altdorfium*, in illo *Athenaeo* fixurus sedem. Praeuia, vt moris est, solemni disputatione munus docendi ambiit. Non eius quidem erat argumenti, quod communi calculo probaretur. Egit *de timore Dei seruili, non vano. Alt.* 1748. 4. Qui non ignorant, quid *Lutherus* ea de re senserit, docueritque, facile percipiunt, excitasse crabrones. At ille hasce iras nihil veritus, tenax propositi perstitit; nec vnquam mutauit, amantior veritatis, quam semel amplexus est.

Docendi facultatem nactus, in priuatis collegiis tradidit diuersi generis disciplinas philosophicas. Rediit tamen interdum ad forum

theologicum, quod prius placuerat. Pro concione dixit in ecclesiis: dabat operam erudiendis rudibus, vt ferunt institutiones catecheticae: parentabat in exequiis defunctorum; donec anno 1755. ei conferretur munus professoris *extraordinarii* in philosophica faculate; quod adiit solemni praemissa oratione *de aesthetica veterum.*

Tandem anno 1757. munus professoris *ordinarii* illi demandatum est; quanquam aduersante facultate philosophica. Iussus est, profiteri *artem poeticam.* Auctus munere professoris ordinarii, dimissis praelectionibus hebraicis, et *cursoriis* biblicis, quibus ad id vsque temporis fuerat occupatus, de elegantioribus litteris in publicis collegiis egit ad ductum *Batteux*: artis vero oratoriae et poeticae praecepta peculiariter exposuit, secutus *Basedouium.* Conscripsit dissertationem, vulgauitque *de noxio litterarum amoeniorum influxu in mores.* Neque vlla fere disciplina est ex philosophicis, quam non tradiderit. Explicuit *Baumgartenii* opera singula, scholarum destinata vsibus. Docuit *aestheticam, initia philosophiae practicae, Theologiam* et *ius naturae* ad praescriptum *Achenwallii.*

Anno 1779. post obitum *Adelbulneri* cathedra *logices Willio* mandata fuit. Maluisset *metaphysicam*, quam tot retro annos fuerat professus. *Poeticam* tandem abdicauit

an. 1786. Nactus spartam professionis historicae, dissertationem emisit de Polono, aut Bohemo comite *Rosdraszouio*, exposuitque numisma, valde rarum, descriptum a nemine; quod ad dicti comitis biographiam attinet.

Ab illo tempore totus incubuit ad illustrandam historiam patriam. Excussit eam in rem, quos potuit, veteres codices. Chartas oblitteratas, et monumenta id genus alia, vel iniuria temporum vel hominum incuria pessime habita, vindicauit a situ, squalore, puluere, tineis, quibuscum diu depugnauerant. Collegit inscriptiones, imagines, numos, alia, quae ad institutum, quod animo meditabatur, quidquam facere videbantur. Neque vllis pepercit sumptibus. Ex bibliothecis *Hirschiana*, *Schwarziana*, *Schwindeliana*, *Wursteriana*, multo aere sibi comparauit, quae valebant ad locupletandas opes historiae *Noricae*. Exhilaratus non minus fuit amicorum tum indigenarum tum exterorum in eandem rem collatis symbolis.

Quibus quidem adiutus subsidiis, factum est, vt par atque idoneus redderetur, maiori in lumine collocandis rebus *Noricis*; quemadmodum multis lucubrationibus, tam breuibus, quam prolixis, quas publici iuris fecit, palam ostendit. Huc potissimum refero *lexicon litterarium Norimbergense*, quod publicauit aduersus lexicographos, qui lapsi

sunt in multis ; vbi sermo est de eruditis *Norimbergensibus*. Equidem ipsemet sensit, neque suum Lexicon esse numeris omnibus absolutum. Qua re factum est, vt alia emendanda in melius , alia supplenda putaret. Certe in *Museo Norico*, quod luci exposuit an. 1759. , exhibuit nonnulla additamenta, quae valent ad *Lexici* sui continuationem, aut perfectionem. Coepit anno 1783. edere in eandem rem *supplementa.* At culpa eius, cuius erat impensas ferre, operi perficiundo obex positus. Quod *Willius* destinauerat, post eius obitum tentauit, absoluitque *Nopitschius* , voluminibus supplementorum quatuor in vulgus emissis.

Multa adhibita opera haec *Williani Lexici supplementa* videre necdum licuit. Scire cuperem , quid *supplementorum* editor in vita mei *Celtis* vol. I. obelo, lima , spongia , aut emendatione alia dignum reputauerit. Sunt certe non pauca , quae forsan *Willius* ipse correxisset ; si potuisset vltimam imponere manum. Exempli causa proferam nonnulla:

Willius asserit, dictum esse *Celtem* patrio nomine *Meissel.*

R. Non *Meissel ;* sed *Pickel*, siue *Bickel* dictus est.

Willius de loco , anno, mense , et die natali variorum sententias adducit , vt lector nesciat , cui potissimum habenda sit fides.

R. Certum est, *Celtem* esse natum *Wipfeldae* ad *Moenum*, *Wirceburgum* inter et *Schwinfurtum* anno 1459. die 1. Febr.

Willius affirmat, peragrata *Italia*, profectum eum esse in *Illyricum*, *Hungariam*, *Poloniam*.

R. Ex *Italia* recta rediit in *Germaniam*.

Willius vocat praeceptorem *Celtis*, quo vsus est *Cracouiae* in addiscenda astronomia, *Albertum Grudi*, vel *Bruti*.

R. Vocabatur *Albertus Blar de Brutlewo*.

Willius pronuntiat, *Celtem* esse ab imperatore coronatum die 1. Maii.

R. Non die 1. Maii; sed die 18. Aprilis est coronatus.

Willius, inquit, *Pirkheimeri* sorores et filias vsas esse *Celte* praeceptore.

R. Vbi testes? vbi tabulae? *Charitas* fatetur diserte, se *Bilibaldo* fratri, praeceptori vnico, debere, quidquid posset in latinis.

Willius refert, visisse *Celtem* 15. academias, quae tum aetatis erant in Germania.

R. *Celtis* in numero variat: neque vllibi refert, se omnes vidisse.

Willius vult, *Celtem* factum fuisse *Viennae* bibliothecarium, et professorem eloquentiae et poeseos anno 1501.

R. Haec contigerunt anno 1497.

Willius contendit, a *Maximiliano I.* imp.

fuisse sancitum, vt esset Poetica in *Vindobonensi* academia facultas quinta.

R. De his nihil occurrit in diplomate *Maximiliani.*

Willius scribit, a *societate Rhenana* fuisse edita *Celtis* poemata, vna cum aliis eius scriptis, *Argentorati* 1515.

R. Quod vulgauit *sodalitas Rhenana* tantum continet *Celtis odas.* Prodierunt *Argentorati* non 1515. sed 1513.

Willius demum addit, *Celtem primum* fuisse, qui apud Germanos *comoedias et tragoedias* more veterum induxerit.

R, Ante *Celtem* id praestitisse *Ioannem Capnionem*, et *Iacobum Philomusum.*

Praetermittimus in his, quae *Celtis* biographiam attinent, alia, quae correctione pariter indigent. Opuscula quoque *Celtis*, in quibus recensendis non semel lapsus est *Willius*, silentio praeterimus, ne videamur in corrigendo plus aequo copiosi.

Fructus laborum, quos posuit in conquirendis, congerendisque monumentis *Noricis*, voluit pluribus esse communes. Quam in rem publicauit ea, quae de re numaria *Norimbergensium* habebat in promtu, emissis in lucem *oblectamentis numismaticis* (*Nürnbergische Münzbelustigungen cum figg.*) Eodem spectat *Bibliotheca Norica*, distincta in volumina sex, quibus enarrantur scriptores

singuli, qui de rebus *Norimbergensium* quidquam mandarunt litteris. Imagines clarorum *Norimbergensium* tradidit *Panzero* publicandas. Exhibet praeterea *Willianorum* operum index scripta non pauca, quae *Willius* protulit in publicum de rebus *Noricis;* ex quo philosophiae interpretis publici nomen et facultatem obtinuit.

Pari fere studio adiuuit res *Altdorfensium*. Aeri incidi fecit, et appositis notis illustrauit academiae *Altdorfinae*, quos habuit numos, lapides, sigilla, et vasa. Adscriptus ipse societatibus litterariis pluribus, *Altdorfii* instituit litterariam sodalitatem, eamque selecta bibliotheca instruxit. Fuit auctor, vt in studentium commodum diaria litteraria ibidem vulgarentur. Quantum denique laborauerit in expoliendis ingenuorum iuuenum ingeniis, vel ex eo coniicias, quod nullam per dies singulos docendo vacuam horam habuerit. Cumque aliquando contingeret, vt adiretur ab adolescente discendi cupido, qui amicorum litteris erat commendatus: ne petitioni refragaretur, annuit, vt quotidie ad se audiendum veniret ab hora 12. ad 1., tum nimirum, cum pranderet: siquidem hanc dumtaxat horam haberet collegiis vacuam.

Ac hisce quidem intensis, continuisque studiis ipsemet adscripsit valetudinis in peius ruiturae initia. Per omnem vitam firma vsus

valetudine, tactus est apoplexia an. 1789. Reconualuit ope medica, vt solitis studiis vacare posset. Attamen visceribus malum tenacius haeserat, vt arte nulla posset expelli. Succedentibus annis repetita apoplexia malum auxit, quod visceribus infixum gesserat. Nata hinc sunt inter acerbissimos dolores vlcera, vt facultate se mouendi destitutus lectulo affigeretur, singulari patientiae exemplo, compositusque ad diuinae voluntatis nutum.

Extrema conflictatus aegritudine, cum inuiseretur ab amicis, saepe numero erupit in querimonias, vehementerque doluit, eos, qui supra vulgus sapere sibi viderentur, nihil pensi habere sanctissimam Christi religionem, pulchrumque ducere, contemptim de illa et sentire, et loqui; quasi non esset, nisi callidorum hominum astu confictum fraenum, quo plebs contineretur in officio.

Tandem die 18. Sept. an. 1798. placide diem suum obiuit, annos natus 72., omnium bonorum maximo sui relicto desiderio.

Quae de *Willio* commemoraui, hausi tum ex eius *Lexico*, cui vitam sui ipsius, quantum potuit, inseruit; tum ex pleniore illius biographia, quam contexuit, ediditque anno 1799. *Kieſhaberus* defuncti amicus familiaris. Adiunxit *Willii* imaginem, incisam aeri; vna cum longa serie operum *Willianorum*.

In obitu
virtute ingenio doctrina praestantis
Georgii Andreae Willii
polyhistoris
celeberrimi philosophiae professoris
in Altdorfensibus scholis
de historia patria optime meriti
mnemosynon
amici Frib.

Manibus vt Willii funebria iusta rependam,
Poscit amor, fidae foedus amicitiae.
Seros protraxti felix tua tempora in annos,
Lux Altdorfensis, famaque magna scholae,
Immortalis eris: semper tua gesta manebunt:
Annales patrii nec reticere sinent.
Annales patrii, quorum pars magna fuisti,
Enarrans doctos, quos Noriberga viros
Protulit, aut placido quos fouerat alma fauore.
In quorum coetu, Celti, disertus eras.
Quae propius nostrum tangunt polyhistora Celtem,
Impertiuisti candidus ipse mihi.
Non puduit, reuocare senem, quae iunior annis
Scripserat incaute, nec meditata satis.
Confectus senio, fractus studioque laborum
Terrenae carnis mole solutus obit.
Iuit in Elysias hinc liber spiritus oras,
Tranquilla requie, deliciisque frui.
Hic ter laetus agit cum Floro, cum Xenophonte,
Cum Liuiis, Tacitis, Palladiisque viris.
Relliquias carnis positas breuis vrna recondit.
Addo memor paruum carmen amicitiae:

Hic Willii Andreae sita sunt, hic ossa quiescunt
Clari, de patria promeritique viri.
Dignus, qui ferret seruati ciuis honorem,
Cuius et ornaret querna corona caput.
Haec quicunque leges, hospes, dic: Ossa quiescant
Molliter, et cineres. Cetera morte vacant.

Θ 1798.

AEMILIANVS VSSERMANN

San-Blasianus professor theol. Salisb.

Anno 1736. die 30. Oct. apud *Brisgouios*, in sylua nigra ad sanctum *Vlricum* (Ordinis *Camaldulensis* quondam monasterium; postea conuersum in ordinis *Benedictini* prioratum, qui abbati parebat *San-Petrensi* prope *Friburgum*) editus est in lucem *Aemilianus*; parentibus ortus, qui opibus non valebant; sed honesti erant nominis, atque probi. A primis pueritiae annis miram ingenii docilitatem, discendique ardorem prae se tulit. Placuit litterarum amor, quo ferebatur puer, *San-Vlricensibus* Benedictinis; eidemque tradiderunt linguae latinae elementa.

Commendatione *San-Vlricensium* receptus

in gymnasium *San-Petrense* doctus est praeter musicam latine, graece, hebraice; celeriterque arripuit, quae tradebantur; vt spem de se conceptam minime falleret. Emensus in monte sancti *Petri* humaniorum studiorum curriculum congregationi *San-Blasianae* nomen dare constituit. Elapso probationis anno, publico ac solemni ritu eius instituti rationem professus, disciplinas seueriores, philosophicas nimirum atque theologicas, pari studio est consectatus; progressumque fecit non minus felicem; adeo, vt dignus censeretur, qui eas artes, et scientias, quas didicerat, edoceret palam, atque in publicis *Athenaeis*.

Vocatus *Salisburgum*, explicuit in hac Musarum sede moralis theologiae praecepta; vna cum institutionibus hebraicae litteraturae. Vt philhebraeis planius iter faceret, atque expeditius ad faciliorem linguae sanctae cognitionem, typis euulgauit *Salisburgi* an. 1769. 8. compendium syntaxeos hebraicae, vna cum analysi libri geneseos. Praemisit disquisitionem de methodo, linguam hebraeam cum fructu tractandi, et addiscendi: adiunxit indicem librorum, qui commodis eorum, qui ad perdiscendas orientales linguas accedunt, in primis vtiles sunt aut necessarii. Quem quidem ingenii foetum, et academici laboris primitias, in amicitiae testimonium dono mihi dedit.

Quid sit, quod non diutius apud *Salisburgenses* substiterit, haud satis liquet. Alii perhibent, displicuisse tenuitatem stipendii, quod pendi Musarum sacerdotibus in illo Parnasso solet. Quam in rem dixisse fertur: Non oportet Musas viuere sordide, aut esurire. Affirmant alii, discedendi propositum concepisse, quod sibi cum collegis haud satis conueniret; vtrum in litterariis, an aliis rebus, huius non est loci inquirere. *Aemiliani* consilium nemo prudens improbauerit: si amore pacis, et spe tranquillioris vitae ductus, ante tempus ad suos redire constituit.

Reuersus ad suae congregationis sodales, bibliothecae praefuit, omnibus ad id muneris, vt par est, obeundum dotibus necessariis apprime instructus, doctus, humanus, et studio gratificandi paratissimus. Neque quidquam magis habuit in deliciis, quam librariae supellectilis curam; ad cuius incrementum congerebantur identidem selectissimi codices, vndique conquisiti, comparatique magnis, sed salubribus impensis; secus, ac *Steinmeyerus* mihi retulit, et de bibliothecis *Iesuiticis* saepe conquestus est; qui cum necessarios sibi libros quosdam nouos peteret, remissus ad collegii procuratorem pro responso tulit: Legite primum libros veteres, quos bibliotheca seruat, antequam nouos petatis. Dictum

Mida rege non indignum, aut cyclope aliquo!

Neque segnis adsidebat tanto rei librariae thesauro; sed quidquid habuit vacui temporis, adornandis lucubrationibus potissimum historicis dabat. Hinc natum, aut rectius renatum est *Aemiliani* studio *Hermanni Contracti* chronicon recusum ex inedito codice *Augiensi*, cum eius vita. Accedit *chronicon Petershusanum*, pariter antea non editum, notis et obseruationibus illustratum. Eius quoque studio, ac operae debemus *Germaniae Sacrae* tomum primum, quo *Wirceburgensis* episcopatus res enarrantur. Cum annos multos bibliothecae curam gessisset, seque totum continuisset studiis, morbo consumptus est vir optimus, germanae prorsus fidei, et prisci moris, abhorrens plurimum ab adulandi studio, atque omni fastu; qui omissis ceteris omnibus curis, nihil appetens, sorteque sua contentus, e vita discessit anno aetatis 61.

Quae de *Vssermanno* commemoraui, comperta habeo tum ex familiari consuetudine, tum commercio epistolari, quod mihi cum illo intercesserat; tum ex relatione suorum concellitarum. Frustra adhibito omni labore, peruenire non potui in notitiam emortualis diei. Suppresso principali monasterio, vix

spes est subsidiorum, quorum ope biographia plenior contexi posset.

Monumenta ingenii, quae publici iuris fecit, et *Meuselius* refert, nosque supra indicauimus.

EPITAPHIVM.

Aemiliane, tibi dedit incunabula sanctus
Vlricus Bauarus, quem nigra sylua colit;
Diues vbi tellus mineris, et foeta metallis,
Visceribus ruptis, larga ministrat opes.
Praebuit at doctos latices tibi Pallas amica;
Montem vbi Petrinum sacra fluenta rigant.
Pocla propinauit, plenis tibi faucibus hausta,
Restinxitque sitim docta Thalia tuam.
Vt penitus nosses, Heliconis numina, Musas,
Quaemontes habitant, Hercyniumque iugum,
Cura fuit, Blasii celsos ascendere colles,
Et pectus studiis perpoliisse sacris.
Dum tibi vita fuit; coluisti gnauiter artes,
Ore velut praeco, vel sine voce stylo;
Donec, decurso terrestris tempore vitae,
Hunc nobis rapuit trux Libitina virum.
Conditur hoc tumulo, lenique sopore quiescit,
Qui viuens nunquam desidiosus erat.
Dormit; diuinus dum iudex ante tribunal
Nos vocat, ex aequo reddere cuique suum.
Haec quicunque legis, meditare nouissima, mortem;
Et quae nos post hanc fata suprema manent.

In funere
pietate et eruditione clarissimi viri
Aemiliani Vssermann
e congregatione San-Blasiana
trium linguarum periti
sacrarum litterarum professoris
Salisburgi
amica recordatio.

Occidit Aemilius, non vltimus inter amicos,
Doctrina praestans, relligione, fide.
Reddere gnarus erat, doctorum triplice lingua,
Argolicos, Solymos, Ausoniosque sonos.
Aemiliane, tuo pubes Salzburgica ductu,
Ingenii sapuit dotibus aucta tui.
Ingenii monumenta tui praeclara dedisti:
Te duce, sunt veterum scripta recusa virum.
Odisti chartas steriles, flocci, naucique libellos,
Moribus, et studiis scripta nociua bonis.
Quisquiliis missis, quos frugi sunt melioris,
Mentem ceperunt vtiliora tuam.
Hinc euulgasti Solymaeae grammata linguae,
Vt cupidis faceres planius istud iter.
Hermanni chronicon Contracti nomine dictum,
Vndique quod foedis horruerat maculis,
Pulchrius abstersa fecisti sorde renasci,
Vt facile ipse suum nosceret auctor opus.
Germanis rebus lux maior vt affulgeret,
Caepta est curis Germania Sacra tuis.
Cura fuit, pluteis seruare volumina fidis,
Praefectumque dolet bibliotheca suum.
Non morosus erat, nec custos inuidus: et sunt
Experti facilem, quiqui adiere, virum.
Cognouit libros; extra cognouit et intra:
Vtque ferunt, viuens bibliotheca fuit.

Θ 1799. mense Ianuario.

IOANNES IOSEPHVS KLÜPFEL

tabularii Wirceb. curator.

Natus est *Wipfeldae* apud Ostrofrancos, in ditione et dioecesi *Wirceburgensi*, pago ad dextrum *Moeni* littus, *Wirceburgum* inter et *Schwinfurtum*, amoeno loco a vineis et circumiacentibus siluis; sede quondam familiae nobilis, quae inde sibi nomen traxit; claro statis per annum nundinis, sed magis illustri *Conradi Celtis*, primi inter Germanos coronati poetae, qui primam ibi lucem aspexit, incunabilis.

Parentes habuit honesto genere ortos, probos, et famae integerrimae, *Michaelem Klüpfel*, et *Dorotheam Pfriemiam*. Pater etsi litterarum studiis se non dederit: calligraphus tamen erat et arithmeticae artis admodum peritus; egitque aliquamdiu scribae munus *Arnstenii* apud *Cellarium*. Ita apud *Francos* praefecti appellantur, qui ruri iudicia exercent, lites dirimunt subditorum, et commoda curant

sui principis. Redux in patriam, senatorio ordini adscriptus; paulo post auctus est munere *Telonarii*, constitutus a principe; quod quidem ea, qua par est, fide obiit plus annos triginta. At neque ex senatoris, neque ex Telonarii munere tantum rediit, quantum satis esset, numerosae familiae, quam habuit, sustentandae. Ex vinearam itaque cultura potissimum comparauit, quo ipse suique alerentur. Ex filiis sex alios aliis destinauit vitae institutis. *Iosephum*, et me ex fratribus natu minimum, deputauit studiis litterarum.

Iosephus itaque, quoniam in loco natali non erat ludïmagister, latinae linguae gnarus, iam adultior, annosque natus quatuordecim, latii sermonis rudimenta didicit *Gerlocuriae*, oppido trium horarum spatio Wipfelda dissito, apud *Hendingerum*, scholae rectorem optimum, et celeberrimum id temporis illius artis magistrum, cuius fere nunquam meminit absque laudis praefatione. Rite iactis *Gerlocuriae* grammatices primis fundamentis in *Wirceburgensi* gymnasio, praeceptoribus *Iesuitis* traditus coepta studia prosequebatur.

Non minus progressione felici humanitatis studia emensus est in scholis gymnasticis: qui cum erat rhetorices studiosus, operamque nauaret *Krugio* professori, celeberrimo tum aetatis oratori latino in congre-

gationibus publicis: ego septimo aetatis anno ex paternis aedibus abductus *Wirceburgum*, eiusque curae et disciplinae commissus sum. Ab illo tempore fratrem charissimum, qui formauit pueritiam, et adolescentiam meam, parentis loco semper habui. Absoluto gymnasii curriculo, in scholastici anni fine, cum distribuerentur praemia, fratris nomen publice inter primos recitari, commendarique cum elogio audii puerulus, meminique lubens, litterarum etiam graecarum fuisse amantiorem, et certasse cum primis.

Aeque ex votis successerunt fratri philosophiae studia, quae absoluit duce *Thorwestenio*, Iesuita *Westphalo*, triennali cursu; philosophici doctoris consecutus lauream, apud *Wirceburgenses*.

Postea disciplinis theologicis applicauit animum, ordini ecclesiastico nomen aliquando daturus. Audiuit ex theologicis professoribus, Iesuitas *Munier*, *Voith*, *Kilber;* didicitque dogmaticam, et moralem. A *Widenhofero* autem, eiusdem sodalitii viro celebri, hausit elementa Hebraeae linguae, vna cum hermeneutica sacra. Emensus, quadriennali spatio, theologiae stadium, fastidito ecclesiastico statu, transiit ad perdiscenda legum ciuilium dogmata; quod quidem parentes aegro tulerunt animo, veriti longioris studii impensas.

Inter iurisconsultos, quorum magisterio

vsus est, celebriores erant *Barthelius*, et *Sündenmalerus;* ille canonum sacrorum, iste publici iuris professor. Absoluto iurium studio amanuensem aliquamdiu egit apud *Bährium*, consiliarium aulicum; donec fauore principis denominaretur tabularii publici curator. Ex matrimonio, quod iniit anno 1763. cum *Maria Anna Schaubia*, ciuis *Wirceburgensis* filia pudica, et oeconoma prudente, genuit duos filios; et reliquit. Alter natu minor successit patri in officio, quod obierat. Alter praefectura fungitur in pago *Steinach* haud procul *Wirceburgo;* quam sibi demandatam habet ab illustrissimo Domino L. B. de *Hutten*.

Habuit frater, dum vixit, familiare mecum epistolare commercium. In litteris, quascunque ad me dedit, sermone vsus est latino, satis terso, nec ineleganti: quanquam annos plurimos fuerit ab illis politioris litteraturae amoenioribus studiis seiunctus. Ego vero litterato homini non tam laudi esse puto, scire latine, quam dedecori illi est, ac turpe, latine nescire.

Dum supra memoraui, formatum a fratre fuisse pueritiam, et adolescentiam meam domesticis institutionibus, nemo cogitet, aduersarium me esse institutionum publicarum; sed id duntaxat me velle, quod viri sapientes monent, institutionem inter paucos esse vtiliorem. Expertus loquor. Anno 1743

admissus *Wirceburgi* in primam grammatices classem, condiscipulos numeraui 160. Quis, amabo, magister vnus tot pueris rite erudiendis par erit, aut sufficiens: vtut ingenio, doctrina, sedulitate excelluerit? Immensus fere is labor est, qui vires humanas superat; legere, lustrare singulorum quotidiana pensa; notare errores, emendare, vt intelligat vnusquisque, quantum deflexerit a regulis artis. Vere itaque pronuntio, docendorum multitudinem obesse profectui litterarum; maxime si sermo est de grammaticalibus scholis.

Contraxit frater, cui me, meaque studia in acceptis refero, mense Ianuario 1799. ex vehementia frigoris catarrhum, qui ei mortem attulit; cum esset septuagenario maior. In grati animi memoriam contexui epitaphium, quod sequitur:

FRATRI. CHARISSIMO.
IOANNI. IOSEPHO. KLÜPFEL.
TABVLARII. PVBLICI. CVRATORI.
WIRCEBVRGI.
PVERITIAE. ET ADOLESCENTIAE. SVAE.
INFORMATORI. IN. PRIMIS. FIDO.
EREPTO. E. VIVIS. AN. 1799.
CVM. ESSET. SEPTVAGENARIO. MAIOR.
IN. GRATI. ANIMI. SIGNIFICATIONEM.
ET. POSTERORVM. MEMORIAM.
HOC. MONVMENTVM.
LVGENS.
POS. FR.
FRIB. BRIS. AN. 1809.

EPITAPHIVM

ALIVD.

Iosephi fratris cineres lapis iste recondit,
Cui curae pietas, integritasque fuit.
Fratribus ex senis is victima quinta cadebat,
Solamen vitae, deliciumque meae.
Ereptus terris, et fratri frater ademptus,
Lugendi causam, tristitiaeque dedit.
Ante meos oculos tristis versatur imago
Fratris; et humectant flumina larga genas.
Solus ego frater minimus sine fratre relinquor:
Quis pro fratre mihi porro leuamen erit?
Me dolor excruciat, laesum qui pectus adurit.
Quam misera posthac conditione fruar?
O quoties volui, quoties pia vota calebant,
Vitam cum dulci degere fratre meam?
Saepe peroptaui: Simul ambo commoreremur;
Aut vna saltem contegeremur humo!
Sed nil vota iuuant; dum sunt contraria fata
Votis. Res cunctas ferreus ordo trahit.
Aut potius cuiuis finiuit tempora vitae
Lex aeterna Dei, cunctisciique patris.
Iussibus aeternis parendum est, mosque gerendus,
Quo quemcunque vocet tempore, quoue loco.
Sic vbi fixa sibi frater viuendo peregit
Tempora, decessit de statione lubens.
Occidit Herbipoli: suffocatusque catarrho,
Adque tuas, Moene, est contumulatus aquas.

Quidquid terrenum est, terra insatiata vorauit:
Spiritus astra petiit: perfruiturque Deo.
Me mea mors fratri iunget cum fine laborum:
Omnia sic erimus secula cum Domino.

In obitu
Fratris clarissimi
fidelissimi mei paedagogi
I o a n n i s I o s e p h i K l ü p f e l
Tabularii publici curatoris
W i r c e b u r g i
Monodia.

Ad te nunc venio, quo non mihi charior alter
In tota vita, candidiorque fuit.
Frater, necrologo memorari dignus in albo,
Primus amicorum, frater amande, meres.
Nisus es ardenti studio primordia vitae
Moribus integris excoluisse meae.
Tu bone dux, Latiae mihi progymnasmata linguae
Fidus monstrasti, sedulitate pari.
Tu sacrum laticem volucris de monte caballi
Fudisti labris dulcia pocla meis.
Te duce perdidici doctorum carmina vatum:
Et rudis occoepi cudere versiculos.
Tuque propinasti mihi linguae dogmata Graecae,
Ingenio mandans semina prima meo.
Sic puer inceptis, votisque fauente M i n e r u a,
E gremio prodii, frater amate, tuo.
Quid tibi pro tantis curis, studiisque rependam?
En animum memorem, perpetuoque tuum!

Postquam mortalis complesti tempora vitae,
Vectus es in celsi regna beata poli:
Perfruerisque Dei vultu, sine fine beatus,
Additus aethereis, angelicisque choris.
Me tua seiunxit; mea mors te denuo iunget,
Illeque supremus reddet vtrumque dies.
Nil ergo est in morte mali: mors reddit amicos:
Mors nobis vitae dux melioris erit.

Θ 1799. die 4. Maii.

IOANNES A S. CRVCE

Theol. professor Heidelb.

Erat *Eoo-Francus*, *Carmelitani* ordinis, ex eorum familia, qui *discalceati* dicuntur, eiusdemque instituti moderator prouincialis, linguarum orientalium, et sacrorum dogmatum professor publicus in *Athenaeo Heidelbergensium.* Natus anno 1740. die 29. Nou. in pago *Reulbach*, ditionis *Wirceburgensis ad Rhönam;* dictus, cum ablueretur salutari lauacro, *Andreas Streit*, perquam officiosus in eos, qui litterarum studia colunt. Quam in rem dedit operam, vt ex *Heidelbergensi* academica bibliotheca ad me perferrentur codi-

ces inspiciendi, vtendique; qua quidem re mihi nihil erat desideratius. Alia in vsus meos exscribi curauit ex eiusdem bibliothecae codicibus aliis, quibus aegre carebam.

Immortuus est muneri, quo apud *Heidelbergenses* fungebatur. Quanquam enim hydropis morbo laboraret, muneris tamen professorii partes implere non destitit; donec inopinato accedens malum grauius docendi cursum intercepit. Cum enim more suo pergeret ad aedes academicas, litterariam pubem informaturus sacris studiis, in via tactus apoplexia, concidit, et paulo post migrauit e vita, aetatis anno 59.

Post eius obitum theologicae facultatis professores catholici deseruerunt *Heidelbergam;* et *Friburgum* demigrarunt. Quemadmodum prouido, ac sapienti consilio sanxit principum *Nestor*, *Carolus Fridericus* Magnus Dux *Badensis.* Cum enim, vt superiorum temporum facta nos edocent, ex dissidentium de capitibus doctrinae christianae scholarum sententiis lites facile, ac simultates enascantur, quae otium rei publicae turbant: salutare visum est, ac medium praesens, scholas seiungere, quae contentionibus praebere ansam possent.

Vidit et illud incommodi salutis suorum studiosissimus, patriae pater, vt sunt leues iuuenum animi, curiositatis ducti studio, ac in

res nouas proni, caeco et iuuenili quodam impetu ferri, modo haec, modo alia in auditoria, doctrinasque percipere inter se discrepantes; quibus recte diiudicandis nec par iudicium, nec satis virium adferunt. Vnde fit, vt fluctuent incerti, ancipites, suspensi, atque ignorantes, vbi certum figant pedem scepticorum more. Cuiusmodi malo nullum est in religione nocentius. Cum enim neque hanc teneant religionem, neque illam; habent nullam.

Vt sit intemeratus sacrorum cultus, neque cuiquam religionis causa inferatur contumelia aut vis, sanctissimis legibus cautum est; et in praeuaricantes statutae poenae. Non minore cura Musagetes noster optimus inuigilat scholis, in quibus rectorum de rebus diuinis humanisque sensuum disciplina traditur; eademque iuuentutis litterariae, quae in spem patriae educatur, seminaria, benigne fouet, tuetur, ornat; velut nuper admodum illustre monumentum, Sui imaginem, ceu pignus beneuolentiae singularis, muneri misit *Friburgensi* academiae. Quam ob rem plurimum sibi gratulatur; nec erit, vt tanti fauoris recordatio ex academicorum animis vnquam effluat.

Quae de *Ioanne* retuli, accepi tum ex foliis litterariis diarii *Wirceb.* an. 1809.; tum ex narrationibus amicorum, qui eidem longo

vsu, et familiari consuetudine coniuncti erant.

Monumenta ingenii, quae typis publicauit, sunt:

1) Synopsis historico-critica de ortu, progressu, fatis, instauratione atque vsu hodierno linguae hebraicae eiusque subsidiis. *Heidelb.* 1786. 8.

2) Libri *Exodi* hermenia critico-litteralis in locis obscuris. *Heidelb.* 1787. 8.

3) Duae apologiae, emissae in lucem an. 1791. et 1792. aduersus seniculum exiesuitam *Alexandrum Keek*, *Manheimensis* seminarii directorem, a quo insimulatus fuerat heterodoxias.

EPITAPHIVM.

VIATOR ET VMBRA.

VIATOR: *Quem scrobs ista tegit, monachi quam signat imago,*
Cuius praecingunt laurea serta caput?
VMBRA: *Hic Ianus requiesco, cui primordia lucis,*
Et natale solum Francica Rhöna dedit.
Andreas patrio dicebar nomine: Pugna.
Iani post sancta de cruce nomen habens;
Nomina Καινα *tuli Carmeli sacra professus,*
Et iussus studiis inuigilare sacris.
Cum lingua solyma docui pia dogmata Christi,
Musarum in castris, Heideleberga, tuis

Donec in hac fossa Nicri tumularer arena,
Qui perii hydropis pectora mersus aquis.
Nunc scis, quis fuerim. Quod sum, te scito futurum
Serius, aut citius. Vade. Memento mori!

In obitu
Probitate et eruditione praestantis
Ioannis a Cruce
Carmelitae discalceati,
eiusdemque ordinis Prouincialis
Professoris sacrorum litterarum publici
Heidelbergae
veteris amici
honorifica recordatio.

Ergo repentino percussus sanguinis ictu,
Occubuit linguae gloria magna sacrae:
Optimus interpres, qui multis ore diserto
Annis explicuit dogmata sacra, silet.
Vt praedo aggreditur, iugulat, sternitque Ioannem:
Dumque scholas repetit, mors truculenta necat.
Incassum medicas bona dextera miscuit herbas,
Et frustra succos officiosa dedit.
Frustra vena fuit Bacchi conspersa liquore:
Dedidicit pulsus reddere vt ante suos.
Lumina caligant aeternis caeca tenebris,
Atque color, vita iam fugiente, fugit.
Vita caduca fugit. Quod restat inane cadauer,
Illatum tumulo, vermibus esca datur.

Ingenii sed opes, decus et quod nascitur inde,
Gloria, laus, virtus, non moritura, manent.
Iane, tuas laudes (non vanus praedico vates)
Sera enarrabit, posteritasque canet:
Selectusque tuo chorus olim pendulus ore,
Certatim tollet nomen ad astra tuum.
Neu ego mutus ero: dicam, quia saepe iuuabat
Ianus res nostras: Officiosus erat.

Θ 1799. die 13. Nou.

RICHARDVS TECKER

theologiae prof. et biblioth.

Patria *Viennensis*, natus an. 1732. die 5. Maii; *Augustiniane* familiae nomen dedit, cum ageret aetatis annum 17. Litteris satis excultus concellitis iunioribus tradidit philosophicas atque theologicas disciplinas. Doctoris theologici adeptus lauream in theologica facultate *Viennae;* anno 1765 Professoris publici munus obtinuit in academia *Graecensi*, docuitque dogmaticam: auctus ibidem dignitate consiliarii ecclesiastici, tum munere academici bibliothecarii.

Postea *Romae* assistens *Germaniae*, bibliothecae *Angelicae*, et cardinalis *Herzani*

theologus; vir consilio promptus, in rebus agendis prudens, et integrae fidei, magna gratia erat apud omnes, etiam Italos, qui in alienigenas non bono semper aut amico animo feruntur. De me, et rebus meis bene meritus, diligenter ad me curauit non *Georgii* solum litteraria munera; sed et aliorum opuscula, quae *Romae* aspexerunt lucem.

Erat, cum *Romam* venit *Teckerus*, *Angelicae* bibliothecae facies valde turbata, et illaetabilis. Iacebant humi innumeri fere, omnisque generis praestantissimi codices, quos inter facile eminebant ii, qui erant Cardinalis *Passionei*, magnis coempti sumptibus pretio 16000 *ducatorum*, a *Franc. Xau. Vasquesio*, supremo ordinis *Augustinensis* moderatore. Fuisset equidem *Georgii*, qui bibliothecae erat praefectus, huc operam, curasque suas conuertere, vt huic malo medelam ferret. At ille cum causaretur et senium, et occupationes plurimas, quibus esset obrutus: nemo illi negotio aptior inuentus est *Teckero*, quanquam Germano; qui pensum sibi impositum, fratrum socia adiutus opera, duorum annorum interuallo feliciter absoluit; libris singulis suo quoque loco repositis, confectisque necessariis indicibus.

Quemadmodum in *Casenatensi*, ita in *Angelica* bibliotheca, certus est theologorum nu-

merus, qui ab ea sibi nomen habent, quorum in collegium, suo merito, cooptatus est *Teckerus.* Horum quidem, qui in eo Musarum viridario omnis generis opes litterarias in promptu habent, munus est et officium, meditari, et elaborare aliquid, quod est aeternitate dignum. Mihi quidem saepe in mentem venit a selecto id genus theologorum choro nil suscipi, aut effici posse praestabilius; si tempus omne in legendis sanctorum patrum scriptis consumerent, atque diligentius annotarent testimonia, siue scripturae sacrae, siue scriptorum ecclesiasticorum, siue etiam prophanorum auctorum, quibus patres vsi sunt. Omni sacramento contendere vellem, innumerabilia fere loca fore, quae illustrari, emendari, aut in melius restitui possent.

Persuassissimum etenim habeo, sanctorum patrum opera necdum satis discussa esse; sed omnis generis doctrinarum vtilium largam messem hinc exspectari posse: si curatius lecta, et pensitata studiosius fuerint;

Scripsissem haec pia desideria amicissimo *Teckero*: nisi mors superueniens fecisset eius vitae finem, aetatis anno 67. Monumenta ingenii siue sua, siue aliorum, quae typis edidit, recenset *Meusel* in *Hambergeri* erudita germania; et ante eum *de Luca.* P. II. litt. Austr. pag. 220. seq.

Quae commemoraui de *Richardo*, collecta a me sunt tum ex *Luca* l. c., tum ex *Teckerianis* epistolis, *Roma* ad me datis.

EPITAPHIVM.

Horridius nihil est confusa bibliotheca,
Non recto positis ordine codicibus.
Quae, Richarde, tibi visa est libraria Romae,
Angelicumque chaos cernere triste fuit.
Hanc es Musarum stragem miseratus: opemque
Ferre malo tibi mens, consiliumque fuit.
Perfecisti opus Herculeum, plenumque laboris,
Insumptis annis, messibus atque tribus.
Heu labor ingratus! Qualis tibi reddita merces?
Inuida dissecuit de tribus vna colum.
Hicque iaces, vbi luce cares; caecaeque tenebrae,
Et nox sunt meritis palma repensa tuis.
Praemia digna capis, coeli sublimis in arce,
Splendet vbi aeterno lumine clara dies.
Quod tenet obscurum tumuli lacrymabilis antrum,
Putre, ac terrenum est, vermibus esca, cibus.
Sed pars nobilior, mens immortalis ad astra
Euolat, aeterna pace, quiete fruens.
Hic vbi cernemus fulgentem lumine Christum,
Angelicos inter sydereosque choros.

Ad tumulum
Consilio, fide et eruditione praecellentis
Richardi Tecker
Augustiniani
theologiae publici professoris
Graecii
Post Assistentis Generalis
Romae
Theologi Herzani Card. Austriaci
et bibliothecae Angelicae curatoris
amici Friburgensis
cogitationes.

Austria te felix genuit, mentemque poliuit
Artibus ingenuis clara Vienna tuam.
Iunctus eremitis, cupiens bene discere Christum,
Implesti studiis pectora casta sacris.
Vt tibi cura fuit, didicisse fideliter artes:
Sic tibi Graecenses cura docere fuit.
Romae cum fueras; opera, re, consilioque
Iuuisti Herzanum candidus Austriacum.
Coptica misisti nobis fragmenta Georgi
Pignus amicitiae, mnemosynonque tuae
Reddo fidem: Prius aeria pisces pascentur in vlmo,
Quam tuus ex isto pectore migret amor.
Quae sparta Almannis vix cedit; tradita Romae
Angelica est curis bibliotheca tuis.
Tu prior ereptus nostris, vir candide, terris;
Tristem liquisti, decrepitumque senem.
Interea peragam, quod vult sibi fabula tota;
Donec sint scenae pensa peracta meae.
Discedamque libens; vbi iusserit ille supremus
Terrigenum rector, saluificusque parens
Tunc iunget melior nos sors, vnaque fruemur
Aspectu Domini, colloquioque Dei.

⊖ 1800. 8. Sept.

FRANCISCVS DE BENEDICTIS

professor publicus Friburgi.

Rottenburgi ad Nicrum, oppido ditionis *Austriacae*, nunc *Würtenbergicae*, natus die 21. Maii anno 1721., patre nobili *Tyrolensi*, regiis ab officiis *Rottenburgi* (*Oberamtsrath*). Grammaticam, et humaniores litteras didicit *Wiblingae* in Benedictinorum coenobio prope *Vlmam*, et *Mindelhemii* in gymnasio publico. Philosophicis disciplinis operam dare coepit *Oeniponte*; artium et philosophiae ibi donatus prima laurea. Anno 1737. 20. Sept. instituto Iesuitico se adiunxit; solemnium votorum religione ei sodalitio arctius adstrictus anno 1755. die 2. Febr.

Adscriptus ordini, philosophicis scientiis atque artibus, potissimum mathematicis, plenius est excultus *Ingolstadii* et *Dillingae*; vbi disputatione publica specimen dedit doctrinae philosophicae, propugnatis ex singulis philosophiae partibus selectis thesibus. Addiscendis theologiae studiis nauauit operam

Friburgi Brisgaudiae, et *Ingolstadii;* ibidemque ad cappessendos in theologia supremos honores, praescriptis ac rite subitis tentaminibus rigorosis idoneum se reddidit.

Postea docere ipsemet coepit diuersis in collegiis disciplinas multiplices. Docuit grammaticam *Oeniponti* inde ab anno 1743 et sequentibus, *Monachii*, *Constantiae*, *Rottenburgi ad Nicrum*, et *Rottwilae;* poeseos autem, atque rhetorices praecepta exposuit *Kaufburae*. Philosophiam est professus anno 1756 *Sione in Valesia*, postea *Rottwilae*. Anno 1766 *Friburgi Brisgouiae* in academicis praelectionibus enarrauit historiam imperii Romano-Germanici et statuum ceterorum Europae. Inde ab anno 1768 iuris ecclesiastici interpretatus est canones, vna cum dogmatis moralis theologiae *Rottenburgi ad Nicrum*, *Lucernae* apud *Heluetos*, *Augustae Vindelicorum*, et *Eustadii;* vbi etiam synodalis examinatoris prouincia sibi demandata fungebatur. Anno 1773 directorem egit *Rottenburgensis* gymnasii. Inde rediit *Friburgum* anno 1774, constitutus interpres publicus historiae imperii Romano-Germanici, et statuum ceterorum Europae; quod quidem munus iam ante quinquennium apud nos obierat, ad ductum *Bütteri*, et *Achenwallii*.

Recensuimus hactenus diuersa liberalium

studiorum genera, quibus tractandis, docendisue occupatus et obrutus fuerat *Benedictus;* vt fere instituti *Iesuitici* ferebant leges.

Quicunque humanae mentis vires, praescriptosue limites parumper nouerit, facile perspiciet, hanc docendi rationem profectui litterario obesse plurimum. Quis enim tam felicis est ingenii, vt vnus tot artibus et scientiis plene, perfecteque cognoscendis, et pro dignitate tradendis sufficiat?

Illud fere peculiare sibi habuit, ac proprium noster *Benedictus*, vt non iuraret in verba magistrorum, a quibus fuerat in *Iesuitica* sodalitate eruditus. Acri enim, atque subtili praeditus iudicio, insipidas, noxiasque dapes, sibi propositas a praeceptoribus, quos audire iubebatur, legitima cogitandi libertate vsus, fastidiente stomacho reiecit, electis melioribus. Qua quidem re fiebat, vt tantum sibi conflaret inuidiae apud suos, quantum gratiae apud exteros meruit.

Etsi vero naeuos defectusque societatis, cui erat adscriptus non ignoraret; semper tamen de illa sensit beneuolenter, et honorifice est locutus; confitens, se ab alma quondam matre sua bona plurima percepisse. Prudentia erat singulari; propptereaque appellatus a *Rieggerio*, apud quem plurimum valebat, *vir consiliorum.* Neque praeceps ferebatur ad iungendas amicitias cum quibusli-

bet; sed quos caute, et circumspecte selegit amicos, nunquam dimisit; asserens, semper turpe esse, amicum dimittere: vel enim errasti; cum recepisti indignum: vel erras; dum dignum excludis. In vtroque casu te ipsum prodis, et condemnas.

Nihil praeterea habuit prius, aut antiquius, quam decus, et incrementum academiae, in qua multos annos meruit, obiitque supremum diem, octogenario maior. Molestissime autem tulit; cum cerneret, res nouas moliri studiorum alumnos. Vix dici potest, quam aegro fuerit animo, cum perspiceret, esse e numero academicorum, qui nouandi studio abrepti, discrimen inter cultores litterarum certis, queis vterentur, signis inducere laborarunt. Quid? si conspexisset, coalescere iuuenes litteratos in clancularias societates; quae, vt aliarum academiarum exempla docent, ansam praebent otio, et neglectui studiorum, atque contemtui legum publicarum; nec non conducunt ad commessationes intempestiuas, ad inutilem nummulorum paternorum decoctionem, et aeris alieni augmentum; quaeque tandem desinunt in simultates, rixas, atque pugnas: vt de istiusmodi societatibus recte quis dixerit: *Nullius vidi finem laetum.*

Quantopere abhorruerit ab omni fastu, aut studio vanae gloriae, colligere licet ex his,

quae supremis tabulis sanxit. Voluit, vt suo tumulo apponeretur lapis, his quatuor inscriptus monosylabis: *Hier liegt ein Christ.* In eius funere orationem habuit Cl. Ruefius, tum temporis iuridici collegii decanus: vnde praecipua, quae de *Benedicto* diximus, a nobis excerpta sunt.

Nonnulla lubet his adiungere, quae ex longo vsu, et consuetudine familiari, quae mihi cum illo intercesserat, comperta habeo. Bibliothecam habuit, minime locupletem. Cumque rogaretur de paucitate librorum, illud *Senecae ad Lucilium* memoriter est solitus respondere: „Compositae mentis existi„mo, posse consistere, et secum morari. Il„lud autem vide, ne ista lectio multorum „auctorum, et omnis generis voluminum ha„beat aliquid vagum, et instabile. Certis in„geniis immorari, et innutriri oportet, si ve„lis aliquid trahere, quod in animo fideliter „sedeat. Nusquam est, qui vbique est. In „peregrinatione vitam agentibus, hoc euenit, „vt multa hospitia habeant; nullas amicitias. „Idem accidat necesse est iis, qui nullius „ingenio se familiariter applicant. Distrahit „animum librorum multitudo." Quandoque breuioribus verbis retudit eandem insimulationem, repetens illud viri sapientis: *Vnius libri lectorem ego timeo.*

Praeterea id singulare habuit, vt libros, quoscunque habuit, vbi solemus, collocauerit certa serie; sed fronte auersa; vt rerum curiosi, et exploratores non intelligerent, quibus potissimum auctoribus vteretur. Cumque aliquando eueniret, vt ex hospitibus, a quibus inuisebatur, quisquam ageret inhumanius, arripiendo libros, vt titulos legeret. Ille paulo commotior, reprimens rusticitatem hominis, intorquebat illam, rectius conuersandi regulam: *In alienis cubiculis esto caecus: et in hortis alienis absque manu.*

Cum demum essent, qui rogarent, quid sit, quod nihil vnquam typis mandauerit; vt posteri norint, se aliquando vixisse: variis eam in rem adductis rationibus; denique subiunxit, etiam Christum nihil scripsisse, quod manasset ad posteros; quidquid sit de epistola ad *Abagarum.*

EPITAPHIVM.

Scripsisti tibimet viuens epitaphion ipse,
Quod tumulum signet, mi Benedicte, tuum.
Est iusto breuius, simul est commune sepultis,
Quos nunc Christiadum sacra recondit humus.
Est ergo titulus, quem figis, inutile signum;
Ex quo te, quis sis, noscere nemo queat.
Tu clarus fueras, clara de stirpe creatus,
De Benedictorum progenieque satus:

Rottburgense tibi dedit incunabula castrum;
Pinguia vbi gelidus perluit arua Nicer.
Aonios inter per tempora longa magistros
Formasti iuuenes artibus ingenuis.
Egisti patriae, velut est par, histora gentis:
Hic vbi Friburgum Trisamis amne rigat;
Elapso donec terrestris tempore vitae,
Exuuias carnis ponere iussus eras.

In obitu
virtute et doctrina praestantis
Francisci de Benedictis
Collegii iuridici professoris publici
Friburgi.
ad preces amici
responsum.

Poscis, vt in tumulum Benedicti carmen adornem,
Quod referat laudes encomiumque viri.
Rem perdifficilem lectissime poscis amice;
Ac velut a sicco pumice poscis aquam.
In me vena quidem fluxit iuuenilibus annis:
Aruit at tenuis, qui fuit ante, liquor.
Me delectabant praeclara poemata vatum:
Occoepique puer scribere versiculos.
Plenius vt fontem biberem, non fata tulerunt.
Me mea sors alias iussit inire vias.
Proque Helicone mihi loca sancta terenda fuere,
Arua Salem, rura dicata Deo.
Proque poetarum somniis oracula Christi,
Atque prophetarum discere cura fuit.

Sic quoque pro Flacco, Nasone, Marone, Tibullo,
Hoc opus, hic labor est, voluere scripta patrum.
Haec ratio, hic nisus, studiorum haec forma meorum est:
Vt cernis, claris vatibus exul ago.
Ergo mihi veniam dabis, aduersante Minerua,
Si nequeo votis scribere digna tuis.
Dotibus eximiis Benedictum nouimus esse
Ornatum, cunctis complacitumque viris.
Mitis erat, lenis, facilisque, humanus in omnes:
Quos semel elegit; fidus amicus erat.
Pacis amans, fugit lites, ortasque diremit;
Prouidus et prudens, consilioque potens.
Rebus in aduersis, idem rebusque secundis
Perstitit, et constans, aequanimusque fuit.
Non morosus erat, nec tristi tetricus ore:
Trito more, senex nec querulosus erat.
Doctus erat procul a fastu semperque modestus:
Non alienae laudi inuidus exstiterat.
Inque Deum pietas, morumque suauissima fama
Commendant meritum, concelebrantque virum.
Qua ratione queant haec pulchro carmine dici.
Nescio; et idcirco nostra Camena silet.

☉ 1800. die 29. Sept.

MICHAEL DENIS

Consil. aul. et biblioth. Vien.

Sodalis erat societatum plurium litterariarum, consiliarius caesareo - regius, et custos primus bibliothecae *Viennensis* palatinae; gente *Bauarus*, *Schärdingae* in superiore *Bauaria* primam lucem aspexit anno 1727 die 27. Sept. *Patauii* absolutis humaniorum litterarum, et philosophiae studiis anno 1747. *Viennae* nomen dedit sodalitati Iesuiticae. Elapso tirocinii sacri biennio, iussus est, discere orientales linguas. Postea missus *Graecium*, grammaticam docuit annos duos. Hinc iussu superiorum abiit *Klagenfurtum;* tradiditque anno vno elegantiores litteras. Rediit *Graecium*, quatuor annorum decursu edocendus omnis generis disciplinas theologicas. Initiatus sacerdotio, *Iudenburgum* petiit in *Styria* superiore, tertium probationis annum exacturus. Hinc vocatus *Posonium*, praeconis sacri fungens munere, curae pastorali operam dedit.

Anno vix elapso accersitur *Viennam*, in illustri collegio *Theresiano*, politioris litteraturae studia professurus; in qua quidem statione perseuerauit, de erudienda iuuentute nobili optime meritus, ad annum vsque 1773, quo in *Austria* solutum est sodalitium *Iesuiticum*.

A *M. Theresia*, et post a *Iosepho II.* imperatore, prae ceteris, pinguiore est donatus pensione annua; quae cum sibi nimia videretur, rogauit, vt eiusdem portio quaedam addiceretur his, qui magis indigerent. Post *Kheitii* obitum demandata ei fuit cura bibliothecae *Garellianae*. Quo tempore perrexit collegii *Theresiani* alumnos instituere historiae litterariae et bibliographiae studio; donec anno 1784 illustre illud collegium decreto caesaris solueretur. Iam anno 1779 *M. Theresiae* fauore impertitus est illi titulus consiliarii regii; admotusque bibliothecae augustae curandae; constitutus custos II., et anno 1791 custos I. Demum a *Leopoldo* imperatore renuntiatus consiliarius *actualis* aulicus, mortalitatem cum immortali vita commutauit die 29. Sept. an. 1800 anno aetatis 73.

Erat *Denisius*, aetate sua, inter litteratores magnum et illustre nomen, dux atque praeceptor fidus in reducendis, restaurandisque in melius elegantioribus litteris; comis, mo-

destus, humanus; egenis praecipue bonus, et opem ferre paratus; a studio congregandi nummulos, atque ab omni auaritae suspicione alienissimus. Pro summa, qua erat, gratificandi voluntate iis potissimum, qui Musis operantur, non possum hoc loco reticere, quae in me, nullo meo officio prouocatus, contulit. Vsibus meis vltro concessit e penu sua libraria codicem manu exaratum epistolarum, quas dederant socii, patroni, et amici litterarii ad *Conradum Celtem;* cuiusmodi monumentum fere neglectum ab interitu vindicauit, istiusmodi opum venator diligens, et iustus aestimator. Quae quidem, in grati memorisque animi testificationem, ad perennem *Denisiani* nominis famam, a me hisce consignata litteris, et posteris commendata sunto!

Illud igitur, quod verissime praedicare licet, maximam vertitur *Denisio* immortali in gloriam, quod nec commodis suis; sed dignitati, atque incremento rei litterariae vnice natus fuerit, atque vixerit. Beatae ciuitates, fortunatae Musarum sedes, quae *Denisios* studiorum mystas, et antistites habent.

Quae de *Michaele Denisio* commemorauimus, praecipue in acceptis debemus cl. *Badero*, nouissimo *Bauariae litteratae* scriptori. P. I.; vbi etiam plenam exhibet recensionem operum, quae a *Denisio* typis commissa sunt.

Inter ea vero opera, quae in lucem emisit, praestantissimum facile est, quod post immortalis *Lambecii*, praeclarissimique *Kollarii* labores, suscepit, recensens codices manuscriptos bibliothecae caesareae, quae *Vindobonae* est. Inscripsit opus: *Codices manuscripti theologici bibliothecae palatinae vindobonensis latini, aliarumque occidentis linguarum, ad Caroli VI. tempora bibliothecae illati.* Volumen I. in tres partes sectum; Volumen II. mole priori haud inferius, codices sistet qui inde a *Caroli* VI. aeuo bibliothecae accesserunt.

EPITAPHIVM.

Addere **Denisii** *monimento lugubre carmen,*
Flagitat officium; vena negat tenuis.
Flagitat officium, veteri bonoque sodali,
Praeclare merito soluere iusta viro.
Vena negat; quis enim diuino carmina vati
Digna feret, Clario carmina digna deo?
Non ego, qui dudum resonantia plectra reliqui:
Dedidicitque artem voxque, manusque suam.
Arescunt fontes, longus quos praeterit vsus:
Arida sic vena est, non bene culta, mihi.
Vt tamen officio defungar, eoque supremo,
Experiar, quid adhuc nostra Thalia queat,
Et senio fracta, et tali desueta labori,
Quodque metrum sequitur, promere difficilis:

Hic iacet, ecce nouem splendorque, decusque sororum,
Denisius, docti gloria summa chori;
Cui Musae dederant citharam, placidosque lepores
Phoebus, posse hominum pascere versu animos:
Est inter latios vates vix cultior alter,
Lauriger aeterno dignus honore coli.

In obitu
ingenio, pietate et doctrina Cl.
Michaelis Denis
consiliarii aulici
bibliothecae caesareae custodis I.
ad Famam
exclamatio.

Fama, parens clari decoris, laudisque perennis;
Cuius ab arbitrio gloria cuncta venit!
Diua, cui Libitina subest, tutelaque rerum,
Quas mortis rabies perdere saeua flagrat!
Diua, triumphatrix, arcens obliuia Lethes,
Quae pariunt foedum, terrificumque malum!
Magnus Denisius, cuius tua buccina nomen,
Dum vixit, sonuit, Palladiumque decus,
Occubuit nuper crudeli caede peremptus,
Ereptus viuis, victima caesa iacet.
Extulit ex vndis caput Ister: amabile carmen
Audiit admirans, obstupuitque frequens.

Gaudia contestans pater exclamauerat: Euge!
Diuino cantu quis mea regna beat?
Hunc tu, diua potens, victrix post fata tuere;
Fac, ne cum vita cetera dispereant.
Ingenii dotes, et, queis excelluit, artes
Praedica, et eximios, quos dedit ipse, libros.
Audiat haec Rhenus, cum Moeno, Sala, Nicerque;
Nec lateant Francos, Italiaeque viros.
Pro vita instabili, misera, donoque caduco,
Redde magis firmum, perpetuumque bonum.
Effice, Denisius toto celebretur in orbe,
Illius et clarum nomen vbique sonet;
Semper honos, nomenque suum, laudesque perennent;
Dum Musis aliquod stabit in orbe decus.

⊖ 1800. die 8. Mart.

GOTTFRIDVS LVMPER

profess. et praefectus gymnasii Villing.

Natus anno 1747 die 9. Febr. *Faucibus* (Fiissen) oppido *Allgoiae*, dominio *Augustani* episcopi quondam subiecto, ad *Lycum* fluuium, quod nunc paret regi *Bauaro*; viamque pandit in *Sueuiam*, *Bauariam*, atque *Tirolensem* comitatum. Amplexus iuuenilibus

annis institutum diui *Benedicti ad S. Georgium Villingae* in silua nigra, de gymnasio, quod illic viget, per annos multos, praefectus optime meritus, curam nullam sibi priorem habuit, nec antiquiorem, quam vt iuuentutis litterariae commodis inuigilaret perdius, atque pernox. Non contentus, disciplinis melioribus excoli ac perpoliri adolescentum ingenia; pluris aestimabat, atque magis vrgebat, vt mores optimos vitaeque sanctitatem amico foedere cum studio litterarum coniungerent. Neque fefellit sapientis paedagogi spem optatus fructus; ex illo enim bonarum artium seminario prodierunt annis singulis, qui in scholas subliminiores recepti, vti latinae linguae peritia et humaniorum litterarum elegantia probe exculti; ita ornamentis vitae sanctioris praediti, palmam praeripuerunt aduenarum aliis.

Quodsi erant, qui nec magistrorum adducti monitis, nec moti bonorum exemplis, praeclarum ducerent, ferocire ingenio, mordere fraenum, ac in deuia ferri; hos bene morigeri in sacris *Musarum* castris tanquam probra auersati sunt. Gymnasiarchae autem imperio, ab ingenuorum contubernio et scholis eiecti, debitas perpetui exilii poenas dederunt. Atque ea viguit disciplina in *Villingensi* gymnasio, cui praefuit *Gottfridus*, sancta, iusta, inuiolabilis. Quae vtinam vi-

geret in scholis omnibus! Quam multae male audiunt, ob collapsam disciplinam? Quot nepotes, fuci, et decoctores paternos nummulos prodigunt impune? Quae dum permittuntur; inuidiam incurrunt et contumeliam ipsae artes et scientiae: quasi non, vt praedixit poeta, emollirent mores; sed eos reddant ferocientes, brutos, verbo vno: inhumanissimos.

Non gymnasticum solum praefectum egit *Gottfridus*; sed tempore eodem simul obibat munia alia, videlicet *Prioris* coenobitici, pastoris animarum in vicino pago, et professoris theologici. Totque obrutus occupationibus praeclarum illud, atque vtilissimum opus elaborauit, inscriptum: *Historia theologico-critica de vita, scriptis, atque doctrina sanctorum patrum*; opus multae lectionis, longi studii, et vigiliarum, theologis quibuscunque pernecessarium ad recte intelligenda patrum antiquorum sensa, quod, velut persuasissimum habemus, aetatem feret. Quoties illius cogitatio mentem subit; gaudeo, praecipuum me hortatorem fuisse, vt vulgaretur typis; quemadmodum ipsemet initio Voluminis IV. quod nomini meo dicauit, grata mente agnoscit, et aperte profitetur.

De moribus *Gottfridi* quid addam? Fuit prorsus antiquae fidei, germanique candoris, integer vitae, scelerisque purus; qui re nulla a recto officiorum et virtutum tramite pote-

rat dimoueri; coelo dignus. Obiit annos natus 54., vita longiore dignissimus.

Quae de viro optimo adnotaui, comperi tum ex litteratorum commentariis, tum ex commercio, quod mihi cum eo erat, et amicitiae diuturno vsu: destitutus adminiculis aliis, monasterio suppresso.

Indiculus monumentorum ingenii, quae edidit, exhibetur a *Meuselio.*

EPITAPHIVM.

Teutonidum quondam fuerat lectissima virtus,
Morum simplicitas, nec temerata fides.
Eloquar? An sileam? Pudor est; sed vera fatebor:
Cana fides oris exulat ex patriis.
Regnat vbique dolus, technae, periuria, fraudes:
Tam rara est virtus nunc et auita fides.
Non hodie sibi turpe putant iuuenesque senesque,
Fallere, et addictam destituisse fidem.
Decipiunt oculi, frons, vultus, sermo frequenter,
Et fatuum reputant, fingere qui rudis est.
Non ita Gottfridus: qui vita praetulit omni
Pectus sincerum, candidiusque niue.
Illius haud vnquam cepit simulatio mentem:
Illius et nunquam lingua bilinguis erat.
En iacet hic prisci Gottfridus moris amator,
Verus Germanus, Teutonidumque nepos.
Haec quicunque leges, qui transis forte viator,
Germanae fidei, fac, imitare virum.

In funere
multiplici titulo ornatissimi viri
G o t t f r i d i L u m p e r
Benedictini ad S. Georgium
in silua nigra
Professoris et gymnasii praefecti
scholae Villingensis
Lessus.

Nos, G o t t f r i d e, tuo nullos in funere planctus
Edere, res veniam non habitura foret.
Cuius ad exsequias latis nigra silua querelis
Ingemuit, cladis vulnera fassa suae.
Quem sic extinctum fleuit schola nostra magistrum,
Amissam sobolem mater vt orba dolet.
Et merito: quid enim vidit praeclarius vnquam
Tam praecellenti patria terra viro?
Occidit ante diem properata morte solutus,
Annos qui Pelyos viuere dignus erat.
Dicite luctisonae, siluestria numina, N y m p h a e:
Delicias nostras inuida P a r c a tulit.
Moribus enituit priscis, a flore iuuentae,
Antiquae fidei, iustitiaeque tenax.
Dicite luctisonae, fluuialia numina, N y m p h a e:
Gloria sub lacrymis nostra sepulta iacet.
G o t t f r i d u s cessit nostris celeberrimus oris:
Et secum nostri ruris amoena tulit.
Quam sit moesta suo vicinia tota recessu,
Flumina paene audent, mutaque saxa loqui.
Lusciniae densa foliorum in fronde queruntur:
Flebilibusque modis carmina moesta sonant.
Raucidiusque gemens plorat sua fata palumbes,
Et crepat, alituum cum grege, triste melos.

Plangite Pierides, suspiria ducite Musae:
Et largi ſontes, ora, sinumque rigent.
Dicite: Praeclarum amisit Villinga magistrum,
Ductoremque suae praesidiumque scholae.
Artibus ingenuis patriam ſormare iuuentam
Sedulus; expoliit moribus atque piis.
Sic tandem cursu studiorum rite peracto
Transiit ad celsi regna beata poli.
Nobile scripsit opus, quod secula nulla tacebunt:
Lausque viri nullo est commoritura die.

☉ 1801. die 12. Nou.

CONRADVS BORER

Ord. S. Bened. profess. et bibliothec.

Friburgi Brisgouiorum primam lucem aspexit anno 1723. die 14. Nou., adscriptus familiae *Benedictinae* ad *S. Petrum* in silua nigra haud procul *Friburgo* die 26. Dec. an. 1741; initiatus sacerdotio an. 1748 21. Apr. Bibliothecae in suo coenobio praeſuit annos multos.

Eius magisterio vsi sunt concellitae iuniores non pauci, edocti a praeceptore optimo philosophicas et theologicas artes et scientias. In disciplina morum a noxio *probabilismi* commento abhorruit adeo, vt parum

abesset, quo minus in oppositum *rigorismi* errorem praeceps laberetur. Siquid otii a penso quotidiano, statisque occupationibus habebat reliquum, libenter impendit bibliothecae ecclesiasticae *Friburgensi*, in quam frequens intulit frugis bonae symbolas.

Illa vitae integritas, quae erat in *Conrado*: illa moderatio in omnibus dictis et factis; illa benignitas, et adiuuandi voluntas ope aliena iudigos, quacunque re posset, coniuncta cum facilitate morum et suauitate; stabilis ille viuendi tenor, constansque propositum non deflectendi a recta semita, quam ingressus est; summa illa aequanimitas, qua res aduersas aequo tulit animo; demum animi ornamenta, quibus enituit, reliqua reuerentiam illi, atque cultum apud omnes merito conciliarunt.

Quemadmodum epistolae familiares, quas frequens ad me dedit, mihi erant periucundae, quod essent plenae eruditionis litterariae de illis potissimum libris, quibus *San-Petrensis* bibliotheca iugiter augebatur; ita quae epistolarum fini adiungere solebat apophthegmata (imitatus, ni fallor, exemplum *Senecae* in epistolis ad *Lucilium*) mirifice me oblectarunt. Nonnulla huc transferre lubet, quae, memoriae causa, adnotaui in libellis, quos forte ad manum habui; veluti monent viri sapientes, *Erasmus*, et *Ludouicus Viues*. Huc

inter alia referuntur egregie, festiue, eleganter, aut prudenter dicta huiusmodi: „Cedat „curiositas fidei. Omnia scire Dei est; nihil „scire pecudis. Reuerentius est, de diuinis „rebus credere, quam scire. Nihil, quod est „simulatum, diuturnum. Lupus mendacio „tempus. Veritas temporis filia. Dies diem „docet; et liber librum aperit. Non tam „praeclarum est, scire latine, quam turpe „nescire. Nemo est tam indoctus, qui ca„lumniari non possit librum alienum. Su„mus optimi; dum aegrotamus. Solis medi„cis impune est occidere.“

Postremos vitae annos scribendo maxime impendit, et complura reliquit, eruditionis, et laboris sui monumenta, de rebus praesertim liturgicis. Laboriosam vitam, deficientibus sensim viribus, clausit aetatis anno 78.

Quae de *Conrado* commemoraui, partim mecum communicata habeo ex necrologio *San-Petrensi;* partim comperta ex longa consuetudine, quam cum laudatissimo sene habui.

EPITAPHIVM.

Hic recubat Teuto Theodisco nomine Künrat,
Hoc est, vir sapiens, consilioque potens.
O vtinam plures Germanica nomina ferrent,
Propria Teutonicis nomina clara viris!

Huc veniunt Albrechti, Hermanni cum Leonardis,
Cum ducibus reliquis, dux Friderice, tuis.
Turpius est dici de Baccho, vel Apolline, Marte,
Et Venere impura, deque diis aliis.
Nec veterum sunt Teutonum inania nomina: Chunrat
Mensuram impleuit nominis ipse sui.
Consilio valuit; nec erat mens caeca futuri;
Sed procul aspectis tempore consuluit.
Princeps cura fuit, vigili perpendere mente,
Quae nos post obitum fata, vicesque manent.
Securus moritur, qui scit, se morte renasci:
Mors ea non dici, sed noua vita potest.

In exsequiis
pietate et doctrina praestantis viri
Conradi Borer
Benedictini ad S. Petrum
in silua nigra
comitatus funebris.

Quam socio charo ruperunt fila sorores,
Numina Phoebaeis semper iniqua viris!
Te, Conrade, bonus multum dilexit Apollo,
Ingens Petrensis lausque, decusque chori
Ingemuere deae, quae conuenere frequentes,
Soluere funeribus debita iusta tuis.
Prima bonis diuis Virtus comitata praeibat,
Iustitia, probitate, integritate, fide.

Successit, sacram comitata caterua sophiam,
Candor, sedulitas, ingenuusque pudor.
Nymphae bis binae subierunt triste pheretrum:
Funereum sonuit cetera turba melos.
Adstiterant tumulo pullata veste Camenae,
Corporis exuuiis ferre suprema tuis.
Ex his vna, chely abiecta, laniata capillos,
Moestitiae testes, hos dedit ore sonos:
Triste malum! Parcas ferri sine lege feroces
In iuga Parnassi, quid Themis alma sinis?
Ecce iacet, docti raptus de vertice montis,
Aris assiduus, Phoebe, litare tuis.
Qui fuerat iusti constans defensor, et aequi,
Et census osor foenebris, ecce tacet.
Quodsi nil profunt lacrymae, lamenta, precesque:
Nec durae Lachesis flectitur ira Deae:
Hunc tibi nos tumulum vestimus olentibus herbis:
Pingimus et variis, perpetuisque rosis.
Sic tua laus vigeat, sic semper gloria crescat:
Et maneat nomen tempus in omne tuum.

Θ 1802. mense Febr.

IOSEPHVS ANDREAS FAHRMANN.

proepiscopus Wirceburg.

Cellae prope *Wirceburgum* natus est die 8. Nou. 1742 patre oenopola, et ciue *Cellensi*. Florebat ibi a longo annorum decursu col-

legium canonicorum *Praemonstratensium*, optimorum ingeniorum, et doctrinae fama illustre. Eorum in numerum merito recensendus esse videtur *Laurentius Wohlbach*, qui postea *Cellae inferioris* factus est praepositus. Is in *Andrea* puero animaduertit, et mirabatur praestans ingenium, et ad virtutem, doctrinarumque studia dotes aptas. Placuit adolescentulus ob mores placidos, ac naturalem quandam humanitatem, comitatemque, quibus omnium ad se voluntates alliciebat. Constituit *Wohlbachius*, in excolendo, expoliendoque optimi adolescentis ingenio experiri, quid cultura possit, atque opera paedagogica. Sua quidem expectatione frustratus non est: neque poenituit suscepti laboris: ita, tamque feliciter tenerae aetatis discipulus profecit in studio tum religionis, tum litterarum.

A domestico quasi hoc gymnasio translatus *Wirceburgum*, eruditus est in scholis patrum Soc. Iesu humanis, philosophicis, atque theologicis litteris. De hac vitae academicae epocha biographus, ex cuius fonte hausi, totus fere conticescit; neque meminit, quibus potissimum vsus fuerit praeceptoribus, quasue progressiones fecerit in illis artium et scientiarum doctrinis. Nobis quidem dubium non est, optimis initiis haud disparem in his etiam studiis fuisse prouentum. Cum enim a prima aetate, fuerit alienus ab

otio, inertia, desidia, vitiis aliis, quae remoram ponunt profectui studiorum, ac morum innocentiae: cumque tenacius haereant, quae teneris annis imbibuntur, facile persuasum habemus, sui non dissimilem euasisse *Fahrmannum*; sed in *Musarum* castris magna constantia, strenueque meruisse.

Anno 1769 receptus in seminarium clericorum *Wirceburgi*; initiatus sacerdotio an. 1795 initium dedit pastoralibus muniis in ecclesia *Fährbrückensi*, a peregrinationibus sacris celebri, quo statis diebus e seminario se contulit, vt subsidiariam in sacris operam ferret. Post egit moderatorem nobilis iuuentutis domini *de Brümer*, principi a sanctioribus consiliis. Quo munere paucis post annis defunctus, *Capellanus* constitutus est in nosodocheo *Iulio*. Hinc rediens in seminarium, munus obiuit *oeconomi*, et moderatoris nobilium epheborum, qui eiusdem seminarii erant inquilini.

Nobili moderandae iuuentuti *Fahrmannus* cum praeesset: non, vt aliis ante ipsum solemne erat, in animum induxit, minaci ac truci fronte incedere, ac *Orbilii* vibrare sceptrum. Piget, meminisse priorum temporum, quibus pulchrum putabant, tyrannice saeuire in teneram aetatam, vt sibi conciliarent auctoritatem; suis autem metum incuterent. Quanto melius artem educandae iu-

uentutis calluit, exercuitque *Fahrmannus*? Probe nouerat, quod hoc de argumento praecipiunt, litterisque mandarunt viri sapientes, beneuolentia, blandisque monitis, generosa et liberalia ingenia duci, quocunque volueris. Non sumpsisse inanem operam, dum humaniter, liberaliterque eos habuit, qui fidei ac disciplinae suae erant commissi, testes fere sunt, quicunque, ea ratione educati, ex illo nobilium contubernio prodiuerunt, generis prosapia, praestantia doctrinarum, vitae integritate, atque dignitatum, quibus praefulgent, splendore illustres viri.

Etsi vero alumnorum seminario praepositus non esset, neque fungeretur officio *regentis*, vt dici solet, qui clericis praeest: omnium tamen animos, quarum quidem cura ad eum non pertinuit, sibi valde addictos habebat. Mirabantur illum tanquam formam humanae nobilisque conuersationis. Suspiciebant mites, placidosque mores, colebantque vt amicum optimum, in cuius sinum conferebant libere, siquid erat, quod agitaret animum; verbo: patris loco illum habuere, a quo dimissi nunquam tristes, nunquam absque solatio, consilioue bono.

Virum praestantissimum *Friburgi* nosse coepi, atque inire eius amicitiam. Huc diuerterat ex itinere, quod suscepit iussu sui principis, *Franc. Lud. Erthalii*, lustraturus

seminaria clericorum Germaniae galliaeque. Multus inter nos erat sermo de seminariis generalibus, quae tum obtinebant in terris *Austriacis*. Dixi, quae displicerent in huiusmodi institutis, noxia educationi bonae, sacrisque studiis. Reposuit, id genus incommoda in *Wirceburgensi* seminario locum non habere. Vt erat facundus, et promptus eloquio, multa attulit de sanctis disciplinae legibus, quibus luxuriantia ingenia in officio contineantur. Tum ego: Si vestra domus hunc in modum, id est, optime instructa est: quid opus peregrinatione, ad illam reformandam? Timeo, vt saepe fit, ne reformetur in deterius. Ad haec ille: Mea, inquit, peregrinatio non pro fine habet nisi externum collegii cultum; quam in rem, vt vides, itineris comitem habeo architectum. Subiunxi tandem votum, quod sequitur: Quae apud vos, in mea patria, frugifera sunt, et constituta sapienter, vt durent diutissime; sintque aliis exemplo et imitationi, Deum precor.

Anno 1773 suppresso *Iesuitici* ordinis instituto, cum plures vacarent cathedrae: munus docendi moralem theologiam cessit *Fahrmanno*. Non erat vnus ex his, qui amplissimam artium bene viuendi disciplinam parui faceret. Dies fere noctesque duxit insomnes, vt doctrinarum pulcherrimam a ma-

culis et sordibus, quae ei multis retro annis adhaeserant, liberaret; redderetque dignitati ac splendori pristino. Saepe fiebat, vt post noctem mediam vigil sederet ad lampadem, intentus studiis, quae sui erant muneris; neque ascendit cathedram, nisi ante rite paratus. Quae proposuit, istiusmodi erant, vt non illustrarent solum intellectum; verum etiam mouerent voluntatem, eamque ad assensionem raperent.

Anno 1779 adeptus munus *praedicatoris* in ecclesia *collegiata in Haugis*, quod coniunctum est cum *canonicatu* illius ecclesiae, ostendit, quantum valeret in eloquentia sacra. Omnibus ad id officii necessariis dotibus apprime instructus accessit. Non deerat iudicium subtile, non memoria tenax, neque viua imaginandi vis, formae dignitas, vox senora, aut sermonis venustas atque copia. Multo autem minus in praecone nostro desideraueris cor religionis plenum, et ardens pietatis in aliis excitandae studium, flagiantemque zelum animarum. Quo cum reuocaueris egregia virtutum exempla, quibus praefulsit, eo gratior, ac probabilior praedicata doctrina videbatur, quod cum summa vitae probitate ac innocentia coniuncta esset. Nam eius furfuris *ecclesiastae*, si secus viuant, quam docent, si legibus, quas aliis indicunt, ipsi non obtemperent, magna ex parte, quod in

ipsis est, doctrinae, quam tradunt, commendationem videntur euertere, ac suis doctissimis ac sapientissimis vocibus, singulari suada effusis, ne commeare in animum possint, audientium aures obstruere.

Adlectus an. 1780 in numerum consiliariorum ecclesiasticorum, omnium fere caput, os, et lingua fuit. Solidis nixus in agendo principiis, et quo erat perspicacis mentis acumine, res saepe intricatissimas prae aliis feliciter extricauit. Nulla paene causa fuit, cui, quid expediret, non suggesserit consilium optimum; saluis per omnia religionis ac iustitiae legibus; vnde abduci vir recti tenax ac incorruptus nulla ratione vnquam potuit.

Fatis functo, an. 1786, viro pientissimo, doctori *Vornbergero* (cuius obitum praecipue pauperes lugent) *regenti* alumnorum subrogatus est *Fahrmannus*. Ante omnia id negotii in mandatis datum est nouo regenti, vt seminarium nobilium a seminario clericorum seiungeret. Illis quidem erat remanendum in sedibus pristinis: istis vero immigrandum in collegium, quod contiguum est, *Iesuiticum*, colonis suis vacuum. Quam rem non parua cum difficultate coniunctam pro sua dexteritate prudentiaque, ad nutum principis, feliciter perfecit. Qua postea fide, integritate, sapientia, quanta cura inuigilauerit gregi sibi commisso: qua humanitate vsus sit in omnes,

quin de praescriptis disciplinae legibus quidquam remitteret: qua demum pietate et obseruantia animi suum praesulem sint reueriti, qui eius suberant directioni, quam dicto audientes, quam promte obsecuti iussis monitisque patris optimi, longum foret, enarrare verbis; nec necessarium; tot enim res declarata est et confirmata testimoniis, quot lenissimo eius ductu dirigebantur.

Non possum, antequam ad vlteriora progrediar; vnum hic reticere, quod nouum spectat seminarium. Iussit *Erthalius* princeps, vt nomen *Boni Pastoris* habeat, quod ante sancti *Kiliani* cognomen gessit. Erat supra portam collegii conspicua statua insignis magnitudinis, quae sanctum *Ignatium* referebat. Placuit *Ignatium* pia metamorphosi mutare in *Bonum Pastorem*, vt seminario magis congruat. Imperatum statuario, vt separet a trunco *Ignatii* caput, et eius loco superimponat caput *Boni Pastoris*, id est, Christi. In eo cum esset artifex, vt caput cum capite permutaret: forte accidit, vt praeteriret quidam *Exiesuita;* qui, vt vidit, quid cum *S. Ignatio* ageretur, dixisse fertur: *Ey! so kann man aus den Iesuiten alles machen!* Quod audiens ex alto *Praxiteles*, nil cunctatus respondit: *Ia! wenn man ihnen andere Köpfe giebt.* Hucusque biographus *Erthalii.*

Sed e diuerticulo ad nostrum *Fahrmannum* redeamus, et, quae restant, breuiter perstringamus. Anno itaque 1780 factus est episcopus, vt loquimur, *in partibus*, id est, in terris imperio Turcico subiectis; Almyrae in Aegypto. Missis ceteris, quae egit episcopus bene praeclareque, spatiis praeclusus iniquis, nonnulla solum adducam, quae ab illo gesta sunt: dum dioecesin lustratum iuit. In ecclesiis parochialibus singulis, ad quas peruenit, praedicauit quotidie verbum Dei, frugifera et ad populi captum accommodata, atque igne charitatis incensa oratione, qua studebat ex animis hominum vitiorum radices euellere, et contrarias illis inserere virtutes. Obtulit in dies singulos eucharisticum sacrificium; quo peracto, confirmationis sacramento initiauit neophytos. Post itum est ad scholas, vt iuuentus documenta daret, quid, quantumue in elementis religionis ac litterarum profecerit. Auditi communitatum praefecti, ludimagistri, tandem cum beneficiatis et capellanis parochi. Omni die hunc in modum exacta, ad seram tandem vesperam cogitatio subiit de aliqua corporis refectione. Qua dignitate, quo studio, qua mentis animique intensione, qua prudentia et dexteritate hisce negotiis, tam multiplicis generis, sit perfunctus, quis fando exprimet? Eradicandi erant abusus inueterati,

ac tollendae funditus inolitae consuetudines prauae: corripiendi legum transgressores; errantes reducendi in viam: componendae dissidentium lites, ac submouendae discordiarum causae: et quae sunt id genus alia, praestanda a viro apostolico. Hoc opus, hic labor est, cui paucissimi pares sunt; *Fahrmanno* autem vix quisquam superior.

Vt vita publica, ita priuata se habuit; vtraque sanctissima. Diutius huic immorari cum non liceat; ad exitum properamus. Quo genere morbi laborauerit, biographus, quem coram habeo, non indicat. Diuturnum non fuisse, inde coniectura est; quod die 29. Ian. consilio ecclesiastico praesens fuerit, vt apparebat, sanus atque vegetus, qui paucis post diebus, ineunte Februario (quo die? biographus reticet) vitam finiit. Vbi supremam sibi horam instare intellexit, sacramentis morientium petiit praemuniri. Acerbissimis conflictatus doloribus cum beato *Fulgentio* precabatur: *Domine, da mihi hic patientiam, et postea indulgentiam;* ad exemplum vero *S. Augustini*, iussit, sibi praelegi *psalmos poenitentiales.* Testamentum, quod condiderat, mutauit; scripsitque haeredes, consanguineos, ecclesiam, et pauperem quendam, laborantem comitiali morbo. Rebus omnibus, vt par est, dispositis, diuinaeque voluntatis arbitrio ex asse addictus, vt vixit,

ita mortuus est, nimirum sanctissime, anno aetatis 60.

Quid sit, quod nec *conciones*, quas habuit longe plurimas, communi omnium exceptas plausu, nec *moralem theologiam*, quam elaborauit vigiliis multis; neque ingenii monumentum aliud, typis mandauerit; cum eam in rem possent adduci causae plures; quaenam vera sit, quis diuinabit?

Quae de praesulis optimi vita retulimus, decerpsimus ex oratione funebri, quam in illius obitum habuit vir clariss. *Adam*, *Ioseph Onymus*, consiliarius eccles. *Wirceb.* 1802. Fol.

EPITAPHIVM.

QVIESCVNT HOC SVB LAPIDE SACRA LIPSANA
REVERENDISSIMI AC AMPLISSIMI VIRI
ANDREAE IOSEPHI FAHRMANN
SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS
ET PROFESSORIS PVBLICI
EPISCOPI ALMIRENSIS
PROEPISCOPI WIRCEBVRGENSIS
IN PONTIFICALIBVS MVNIIS VICARII GENERALIS
ET CONSILIARII INTIMI
COLLEGIATAE ECCLESIAE IN HAVGIS
CANONICI CVSTODIS PRAEDICATORIS
ET PAROCHI
NOBILIVM EPHEBORVM IN SEMINARIO
MODERATORIS
ET ALVMNORVM CLERICORVM
REGENTIS
QVI
DVM VIXIT AMATOR ERAT DEI ET HOMINVM
NVNC PRAESENS IN COELIS DEO
VT ALTER IEREMIAS
PRO NOBIS APVD DEVM INTERCEDIT.
PLENVS MERITIS OBIIT
ANNO 1802 MENSE FEBRVARIO
ANNOS NATVS 60.

EPITAPHIVM
METRICVM.

Conditur hoc tumulo Fahrmannus, praeco disertus,
Cui dulcis docto fluxit ab ore sonus.
Nestoris in morem suauissima nectara fudit,
Nectara mulcendis commoda pectoribus.
Mouit melliti sermonis diuite suada
Cum senibus iuuenes, et genus omne virum.
Calluit in primis, sollersque exercuit artem,
Omnigenum mentes conciliare sibi.
Charus erat cunctis, magnisque placebat et imis,
Atque suum cunctos flexit ad arbitrium:
Flexit ad arbitrium: sed ineuitabile fatum,
Iratasque deas flectere non potuit.
Plus tria surdescunt fatalia numina ponto,
Nec curant dulces, verba diserta, sonos.
Vna tribus cura est, est vna nocere voluptas,
Quae rapere e terris optima quaequae solent.

In exsequiis
reuerendissimi et illustrissimi praesulis
Iosephi Andreae Fahrmanni
episcopi Almirensis
et Wirceburgensis suffraganei
carmen mnemosynon
in animi grati
significationem.

Si claros pietate viros, studiisque potentes
Cultores Phoebi Musa perire vetat:

Si bene promeritis debentur praemia laudis,
Famaque, quae nullo est interitura die:
Fahrmannus merito venit accumulandas honore,
Quem nostri tetigit cura, perussit amor.
Qui viuens fulsit terris ceu sydus amicum,
Cunctis munificus, largifluusque bonis.
Ergo memor clerus sit doctorisque ducisque;
A quo pastoris tradita forma sibi est.
Ciuis honoratum redamet reuerenter amicum,
Qualis ciuili de grege praesul erat.
Et vos, qui duros didicistis ferre labores,
Agricolae, qui latos habitatis agros,
Non erit, vt vestra posthac de mente recedat,
Qui quasi de coelis angelus aduenienss,
Qualis erat nunquam vestris conspectus in oris,
Inuisit vestri rura beata soli;
Commonstrans iter optatae, veraeque salutis,
Cunctosque alliciens ad pietatis opus.
Nec sacrae synodi capient obliuia mentem,
Quae praesul sanxit, constituitque bene.
Non amor immemores vnquam sinet esse pusillos,
Quos fouit patrio ductus amore sinu.
Et vos, qui quondam dulces fueratis amici,
Coetibus in vestris primus amicus vbi est?
O desiderium, quo non ardentius vllum,
Tollere quod par sit nulla futura dies.
Aegri (quis dubitet?) vidui sine patre pupilli
Fahrmanni nomen semper in ore ferent:
Consiliis, opera, multo vos aere leuauit,
Cultu perpetuo dignus, amore pari.
Quod testamento praeclarus episcopus egit,
Laudes eximias, et sine fine meret.
Wirzburgensis tandem ecclesia praedicet omnis,
Aeternumque canat praesulis acta sui.
Qui, bonus vt pastor, vitam posuisse paratus,
Victima procubuit, pro grege caesa suo.

⊖ 1802. die 19. Dec.

STEPHANVS HAYD

Benedictinus Zwifuldensis

Ss. litterarum professor Friburgi.

Natus est in pago *Alberweiler* apud *Sueuos*, anno 1744 die 13. Iulii, cum sacro fonte ablueretur, *Iosephi* nomine compellatus. Humanioribus innutritus litteris, institutum ordinis *S. Benedicti* amplexus est *Zwifuldae*. Editis solemnibus votis, an. 1762 die 30. Nou. studiis seuerioribus sedulam nauauit operam sub praeceptoribus domesticis. Vt iuris tum canonici, tum ciuilis institutionibus ac legibus imbueretur, missus est *Salisburgum*; initiatus sacerdotio an. 1768.

Salisburgo reuersus, per octo consequentes annos variis officiis perfunctus est, veluti: professoris linguarum orientalium, bibliothecarii, moderatoris iuniorum, ac inferiorum classium professoris, tum in suo monasterio, tum *Ehingae*; vbi *Zwifuldenses* inferioribus,

et philosophicis moderandis scholis, multos annos, praesidebant.

Anno 1774 vocatus est *Friburgum*, ad docendas in hac academia orientales linguas, vna cum Hermeneutica sacra noui testamenti. Inito docendi munere, adornauit, vulgauitque canonum hermeneuticorum institutiones, scholarum vsibus accommodatas; quae cum probarentur ab eruditis, in praemium scholastici operis, rite elaborati, prae corriualibus aliis aureo numismate donatus est a *M. Theresia*, imperatrice, Musis propitia.

Causatus infirmitatem pectoris, valedixit *Friburgensi* cathedrae, atque ad suos remigrauit; neque inerti otio annos vitae reliquos contriuit; sed, quantum per valetudinem licebat, diuersi generis obiuit munia. Egit enim *secretarium* sui abbatis, et congregationis, *confessarium* conuentus, praefectum culinae, sacrorum canonum professorem, dogmatum theologicorum interpretem, *superiorem* collegii *Ehingani*, sacrum curionem in *Waldstetten*, pupillorum curatorem, ac demum *archiuarium*; donec, viribus magis magisque collapsis, beato fine quiesceret, aetatis anno 58.

Quae hucusque adduxi, hausi pleraque ex *San-Petrino* necrologio, quod peramice mecum communicauit vir Cl. *Placidus Schlick*, ecclesiae ad *S. Petrum* rector.

Quae *Haydius* edidit ingenii monumenta, referunt scriptores rei litterariae. Sunt alia, quae pressit, relicta post obitum. Huc spectat oratio inauguralis, quam in aula academica apud nos habuit; cum doctoris theologici laurea, me promotore, more maiorum insignitus est. Agit de iubilaeo christianorum. Facta digressione, disserit de indulgentiis; atque asseruit inter cetera, dissidii *Lutherani* causam potissimum repetendam esse ab inuidia, et aemulatione, qua excitatus *Lutherus*, indigne ferens, quod non *Augustinianis*, quibus ad id vsque temporis solemne fuisset, et quasi proprium; sed *Dominicanis* ab *Alberto* cardinali demandatum fuerit munus praedicandi indulgentias.

Me non fugit, esse ex catholicis non paucos, immo dari ex protestantibus, quibus eadem fabella arrideat. Fabellam dico, cuius auctor videtur esse *Ioannes Cochlaeus* in vita *Martini Lutheri*, ad annum 1517. Quae autem eam in rem affert, sine testibus, et tabulis, cupide amplexati sunt, et absque discussione, temereque repetiuerunt scriptores, qui secuti sunt. Neque enim momentum vllum adduci in medium potest, quo comprobetur, munus vel inquisitionis, vel praeconis indulgentiarum proprium fuisse aut solemne *Augustinianis.*

Emanuel a Schelstrate, bibliothecarius *Va-*

ticanus, rem altius repetens, reiecta hac fabulosa sententia, hunc in modum loquitur: „Putarunt hucusque scriptores catholici, cum eminentiss. Card. *Pallauicino*, indulgentiarum per Germaniam publicationem in causa fuisse, quod *Lutherus* coeperit cogitare de mutanda religione, quam a maioribus suis acceperat." Nonnullis interpositis, subdit, ante illas 95. theses de indulgentiis, vulgatas *Wittenbergae* in vigilia omnium Sanctorum an. 1517, publicasse *Lutherum* anno 1516 theses de viribus humani arbitrii sine gratia, hoc praefixo titulo: *Quaestio subscripta de viribus, et voluntate hominis sine gratia, contra doctrinam papae, et sophistarum, disputata est Wittenbergae anno* 1516 *praesidente eximio viro D. Martino Luthero, Augustiniano, artium et theologiae magistro.* Contendit *Schelstratius*, conclusiones et corollaria, propositae quaestioni subiecta, pugnare cum doctrina catholicorum; hincque infert, a veritate deflexisse, antequam indulgentias impeteret. Quid sit de illa disputatione an. 1516, in medio relinquimus.

Nobis satis est, studio et amore veritatis, atque salua pace *Stephani* manium, adduxisse ea, quae commonstrant, defectionem *Lutheri* initium non sumpsisse ab inuidia vel aemulatione monachali; sed ab arrogantia animi, studio innouandi, et vincendi libi-

dine; vti refert *Schelstratius* pag. 2. P. I. Act. Orient. eccl. *Romae* 1739. Eadem tradit *Schmidtius* pag. 53. Th. V. Gesch. der Deutsch. Vlm 1783.

EPITAPHIVM.

Tempus erat, quo tristis hyems nudauit honore
Agros, et siluis abstulit omne decus;
Quo lugubre gemunt tecti velamine montes,
Atque stupet vinclis vnda ligata caput.
Non aliter nostrum vexans Helicona December
Saeuiit, hinc plures diripiendo viros,
Qui sacri montis fuerant magna ornamenta,
Phoebi deliciae, Castalidumque nouem.
Ex his hic recubat Stephanus; qui carne solutus
Expectat reditus ad noua membra suos.

In obitum
Ingenio probitate et doctrina praestantis
Stephani Hayd
Benedictini Zwifuldensis
sacrarum litterarum professoris
Friburgi
Threnodia
Amici.

Ante diem moreris, semper mihi chare sodalis,
Nomina cui Stephani sacra corona dedit.

Virtus et probitas, doctrina, modestia, candor,
Egerunt planctu funeris exsequias.
Eccur, aiebant, crudelia numina, Parcae,
Ante suum eripiunt, quae bona cuncta, diem?
Tot portenta hominum toto grassantur in orbe:
Queis vtinam prorsus vita negata foret:
Caedibus iniustis gaudent, viuuntque rapinis,
Sacrilegoque terunt iura sacrata pede.
Has hominum pestes, humanae monstra figurae,
An non hinc satius pulsa, repulsa forent?
Spiritus haec audiit Stephani: dictisque reponit:
Terris ereptus regna beata colo.
Nolite infestis manes turbare querelis:
Est damnare nefas, quod statuere Dii.
Vt summo domino est placitum, iuuenesque, senesque,
Cumque bonis reprobos e statione vocat.
Mens humana nequit rerum cognoscere causas:
Consilia immensi nec capit alta Dei.
Ast vnum (nec fata querar, nec numina carpam)
Quod valde doleo, non reticere queo.
Cuius ego viridi cingebam tempora lauro;
Primus erat Stephanus, protogonusque meus.
Vt gemit in luctu moerens materque, paterque,
Dum cernunt tradi pignora chara neci:
Non secus indolui: tristis tum fama ferebat:
Mors Stephanum rapida sustulit atra manu.
Nil didicisse iuuat triplicis discrimina linguae:
Nec doctas lauri fronde ligasse comas?
Post vbi mens recolit, Stephani quod rettulit vmbra:
Irascor lacrymis debilis ipse meis:
Nam felix titulo iam fulgidiore triumphat:
Et decus a coeli nobilitate capit.

☉ 1802. die 27. Dec.

POSSIDIVS ZITTER

Augustinensis prof. et praef. gymn.

Neostadianus ad salam Franciae orientalis, natus die 9. Dec. an. 1723, cum sacris vndis ablueretur, nominatus *Franciscus Carolus*. Inde a iuuenilibus annis, quos *Münnerstadii* in gymnasio exegit addiscendis humaniorum litterarum studiis, ea amare, colereque, quoad vixit, nunquam destitit. Anno 1741 die 15. Nou. instituto *Augustinensium* eremitico aggregatus est, appellatusque *Possidii* nomine. Adstrictus ordini solemnium votorum professione publica, in scholis domesticis institutus philosophicis atque theologicis disciplinis, amorem tamen elegantioris litteraturae nunquam excussit. Anno 1746 die 12. Aprilis initiatus est sacerdotio: nihilque ei acceptius, optatiusque potuerat euenire, quam quod tradendis litterarum elegantiorum disciplinis superum annutu *Münnerstadii* admoueretur. Qua quidem statione summopere delectatus,

de ambiendo alio munere nunquam cogitauit; sed in amatis studiis et erudienda iuuentute aetatem omnem, vsque ad decrepitam senectutem, lubens hilarisque contriuit.

Praefecturam principalis gymnasii nactus, a docendi munere non cessauit; nec otiosus adstitit spectator; sed in id incubuit toto pectore, vt adolescentes eruditas linguas, Latinam potissimum atque Graecam, recte edocerentur. Habuit autem sibi persuasissimum, quod verissimum est, facultatem scribendae orationis, siue solutae siue ligatae, non posse conseruari; nisi exercitatio pangendorum versuum seruetur. Quam ob rem vehementer commendauit, vrsitque lectionem, interpretationem, et imitationem vatum in vtraque lingua principum. Hinc enim comparatur, praeter rectam pronuntiandi rationem, verborum copia, et rerum apparatus, morum et antiquitatum cognitio, mythologiae peritia, styli concinnitas, et totius orationis lenis facilisque fluxus; quibus opus est, vt quis possit tolerabili genere sermonis cogitationes suas exprimere.

Quae quidem docendi discendique ratio apud bonae indolis adolescentes fructus attulit non poenitendos. Testis est laetioris prouentus in hac litterarum palaestra *Franc. Ludouicus de Erthal*, episcopus et princeps *Wirceburgensis:* qui, cum more suo, dioeceseos

lustraret ecclesias, scholas non praeteriuit. Ad gymnasium cum diuerteret, quod est *Münnerstadii*, subiens scholas, recusata sella honoraria, consedit inter discipulos. Audiuit et professores docentes, et respondentes discipulos, perspicuo, vt par est, et expedite. Commendauit palam vti docentium, ita discentium studium, quod partes quique suas rite explerent. Abiens dato studiosis adolescentibus monito, vt ita pergerent; praefectum autem, atque litterarum professores, in signum voluntatis beneuolae, numis aureis donauit.

In quorumcunque vixi contubernio, nullius mihi vnquam tam iucunda fuit conuersatio, et absentis recordatio, quam illa *Possidii*, hominis candidi, honestissimisque moribus, graece non minus ac latine docti, vt aegre statuas, quo in sermone plus valuerit; valuit autem in vtroque plurimum. Id vero confessus est, lubentius se graeca legere, quam latina; tum propter praerogatiuas alias, tum ob leniorem vocabulorum pronuntiationem. Fuisse *Possidium Bibliothecae eccles. Frib.* sedulum adiutorem, meque resque meas iugiter suffulsisse, ne in praestando gratiarum officio negligens esse videar, publice impraesentiarum denuntio. Symbolis, quas frequens attulit, in fine adnotata legitur littera *Z.*

Plurima reliquit monumenta ingenii, siue prosa siue metro contexta, ex quibus sunt quaedam historici etiam argumenti; omnia inedita, praeter orationem vnicam, quam de *Münnerstadiensis* coenobii, et scholarum, quae ibi sunt, restauratione habuit. Nonnulla generatim commemorat *Meuselius.*

Quae adduximus de *Possidio*, hausimus tum ex necrologio *Augustiniano Friburgi Brisgaudiae;* tum comperta habemus ex quinquennali conuictu, familiari consuetudine, et diuturno epistolari commercio, quod mihi cum ipso intercessit.

EPITAPHIVM.

Isto Possidius viridi sub cespite dormit;
Donec supremi iudicis vrna vocet.
Lumen erat patriae, docuit quem flauus Apollo;
Et sacri laticis pocula plena dedit.
Doctus Pierias artes, artemque medendi,
Cuius erat Phoebus dux, caput atque parens.
Cognouit plantas: radicum norat et vsum,
Nec non vim medicam, quae bona rebus inest.
Ipse sibi medicus, longaeuos vixit in annos;
Donec consumptus deficeret senio.
Vos iuuenes, patrias colitis qui forte Camenas,
Queis cura est, studiis inuigilasse bonis.
Este ducis memores, memores estote magistri,
Qui vestris nituit gloria summa scholis.

Ferte rosas, violas, hyacinthos ferte quotannis:
Carmina ferte piis ingeminando modis.
Audiat haec Laura; et resonantia littora Laurae
Hoc repetant gratum, mnemosynonque melos.
Carmina, quae fertis, patulae suspendite fago,
Quae tegit vmbrosum Possidii tumulum.
Haec quicunque leget, qui transit forte viator,
Et praeco, et vestri testis amoris erit.

Memoriae
ingenio, virtute, doctrina praestantis
Possidii Zitter
de humanioribus litteris bene meriti
praeceptoris
dicata ab amico Friburg.
laudatio funebris.

Luge Neustadium, luge Sala Francica ciuem,
Illustremque virum, Possidiumque tuum!
Luge Mürstadium, paruo quod flumine Laura
Alluit, atque scholae plangito damna tuae.
Franconici cecidit non vltima gloria Pindi,
Qui Pylios annos viuere dignus erat.
Ausonia cultus lingua, graiaque tenebat,
Quidquid habet latium, graecia quidquid habet.
Illius ductu creuit studiosa iuuentus,
Ingenii claris dotibus aucta sui.
Lustra decem docuit, patrium rexitque Lyceum,
Quod prope Rhönorum culmina celsa viget.
Contemptor numum, flagrabat amore librorum,
Sedulus hos versans, perpetuaque manu.

Ipse freqens iuuit mea pensa, meosque labores,
Vt Friburgensis bibliotheca notat.
Digna legi scripsit non pauca, fauente Minerua,
Siue soluta metro, siue ligata pede.
Vt non exirent in dias luminis auras,
Impediit terror Panicus? anne pudor?
Me penes est locuples chartarum copia, docti
Quas mihi Possidii misit amica manus.
Cum Tullii scriptis fere certant, atque Secundi,
Et latii referunt aurea secla styli.
Moribus; et vita purus, sermoneque parcus,
Sincera coluit relligione Deum.
Confectus senio, multoque labore fatiscens,
Labitur, et placida morte solutus obit.
Ille beatorum superam translatus in aulam
Perfruitur vultu, colloquioque Dei:
Nos miseri infido iactabimur aequore; donec
Coniungat sibi nos illa suprema dies.

⊖ 1804. die 6. Mart.

NICOLAVS WILL

professor Frib. et consiliarius regius.

Domo *Friburgensis* apud *Brisgouios*, editus in lucem anno 1740 die 30. Ian., patre natus ordinis senatorii; studiis in hac *Friburgica* litterarum sede strenua nauata opera, suos inter condiscipulos primas facile tenuit. Initiatus sacerdotio, vicariam locauit operam pastori animarum *Saspacensi* ad *Rhenum*. Anno 1764 *Friburgum* reuocatus, praefuit collegio *Sapientiae*, celebri quondam contubernio studiosorum adolescentum annos quinque. Hinc abiit ad regendam *Essendorfensem* ecclesiam in *Sueuia*, doctoris theologici apud nos auctus dignitate. Vocatus denuo in patriam, professorio functurus munere. Primum quidem tradidit in nostro *Athenaeo* orientalium linguarum litteraturam, quam *Ochsenhusii* didicit apud *Benedictinos* in *Sueuia*; postea polemicen, patrologiam, et litterariam historiam theologiae studiosae iuuentuti palam exposuit.

Dimisso docendi munere, in recens erecto, *Iosephi II.* imperatoris iussu, seminario generali rectorem egit; inque praemium meritorum est ornatus dignitate *Scholastici* in cathedrali ecclesia *Linciensi* apud superiores *Austrios;* quanquam nunquam illuc concesserit. Seminario generali, *Leopoldo II.* imperante, soluto, *consiliarii* regii in referendis causis ecclesiasticis partes agere in prouincia anterioris *Austriae* perrexit; donec variis bellorum intercedentibus fatis pelleretur *Friburgo*, et cum consiliariis ceteris exulatum iret.

Consederunt equidem aliquamdiu *Constantiae* ad lacum *Acronianum:* at cum nec ibi se satis tutos putarent: conuasatis rebus *Günzburgum* confugerunt, vt *Austriae* anterioris reliquiis, quantum possent, consulerent. At cum belli incendium has quoque terras corriperet; *Willius* cum collegis fugit de ciuitate in ciuitatem; quaesiuitque locum, vbi tuto delitesceret. Diutius haesit *Norimbergae.* In familiari colloquio saepissime erupit in laudem istius ciuitatis, et ciuium. Praedicauit hominum litteratorum, praecipue *Panzeri* venerandi antistitis, singularem erga se beneuolentiam. Retulit non sine grati animi testificatione, peramanter inuitatum, coetibus sodalitii litterarii, qui statis diebus ibidem haberi solent, lubenter se interfuisse.

Pace reddita, rediit in patriam; solutusque omnibus curis, et negotiis publicis, sibi potissimum Deoque vixit; patriae nihilominus, nouoque principi *Herculi Mutinensi*, cui *Brisgoica* prouincia cessit, consilio, opera, quantum potuit, prodesse non destitit; donec cum pertinaci morbo, cuius initia dudum persenserat, coepit acrius conflictari. Malo expugnando, restituendaeque valetudini pristinae, frustra erant *Hippocratis* artes, frustra herbae *Podalirii.* Ope medica iterum iterumque exhaustae aquae, maiore mox copia, corpus inundarunt, vt tandem suffocarent.

Fatis concessit die 6. Mart. an. 1804, aetatis anno 64. Ad hanc quidem extremam luctam, vti par est, christiano more se praeparauit, diuinae voluntati toto pectore obsequens. Id solum timuit morti proximus, ne graues sibi acciderent in agone dolores; eoquod assererent medici, forti se corporis constitutione vti. At cum audiisset, in morte aut nullos dolores esse, aut leues, acquieuit, placidissimeque obdormiuit.

Morienti ad extremum vsque halitum praesens adstiti; et veterano amico triste hoc, atque vltimum obsequium praestiti. Cuius quidem obitu graue vulnus accepi. Amisi amicum mihi a longis annis coniunctissimum, veterem, immo iubilaeum. Habui quidem

grande solatium, quod tam charum amicum tam diu tenui: sed hoc magis exacerbat; quod amiserim: nam, vt loquitur vetustus auctor, fruenti voluptatibus crescit carendi dolor.

Non multa equidem sunt, quae reliquit monumenta ingenii, muneris professorii angustiis prohibitus: memoratu tamen digna est *historia de fatis et vicissitudinibus theologiae*, quam edidit *Constantiae* anno 1779. Occurrunt in ea nonnulla *Friburgica*; quo inter alia pertinet illud, quod de *Raymundo Lullo* refertur: penetrasse nimirum ineunte sec. XVI. eius artem etiam academicos *Friburgenses*; at male audiisse, comparatam necromantiae, aliisque fugiendis artibus: sanxisse *Ioannem Kererum*, vt collegio *Sapientiae* a se fundato eiicerentur, quicunque illi arti studerent. En! quanta sollicitudine cauerint maiores nostri, vt ne iuuenum animi suspectorum aut noxiorum librorum lectione corrumperentur. Spes erat, id genus alias lucubrationes praeclaras ex *Willii* calamo profecturas esse; nisi in collegium *consiliariorum* regiorum cooptatus, tot tantisque negotiis oppressus fuisset, vt redire ad studia non sineretur.

Quaecunque retuli de *Willio*, longa cum illo habita consuetudine edoctus retuli.

EPITAPHIVM.

Quod *Willius* ipse sibi scripsit; legiturque in *Friburgensi* coemeterio ad murum septentrionalis plagae:

HIER
LIEGT BEGRABEN
DER HOCHWÜRDIGE VND WOHLGEBOHRNE
HERR
NICOLAVS WILL
WELTPRIESTER
DOCTOR DER GOTTESGELEHRTHEIT
EMERITIRTER PROFESSOR DER THEOLOGIE
AN DER FREYBVRGER VNIVERSITÄT
DOM-SCHOLASTICVS
ZV LINZ IN OBERÖSTERREICH
AVCH K. K.
VORDERÖSTERREICHISCHER
REGIERVNG- VND KAMMERRATH
GEBOHREN
DEN 30. IANVAR 1740
GESTORBEN
DEN 6. MERZ 1804
GOTT GEBE IHM DIE EWIGE RVHE
VND
DAS EWIGE LICHT LEVCHTE IHM.

EPITAPHIVM

ALIVD.

Vere nouo, noua vita redit, quae morte sepulta,
Aut somno fuerant contumulata graui.
Fit nouus in verno pubescens tempore mundus:
Herba recens surgit, parturit omnis ager.
Cuncta renascuntur: ver pingit floribus agros:
Atque nouam faciem terra renata refert.
Dum noua vita redit vernali tempore mundo:
Nil fera mors toto viuere in orbe sinit.
Terrigenas pariter, nullo discrimine cunctos,
Haec rapit, et stygias cogit adire domos.
Nullus in orbe locus, miseris qui praestet asylum:
Nullus et hoc diro tutus ab hoste dies.
Nuper cum verni Martis lux sexta micabat,
Et rutilus medium Phoebus habebat iter;
Corripuit mors atra virum, charumque sodalem
In stygias Lethae praecipitauit aquas.
Amisit potus mnemen? Id diique, deaeque
Auertant, quidquid fabula vana canit.
Dum vixit Nicolaus nobiscum: vix erat alter
Mente magis memori, praeteritique tenax.
Non erit, vt nostri post fata sit immemor vnquam;
Coniungat dum nos illa suprema dies.

In obitu
ingenio, virtute, doctrina praestantis
N i c o l a i W i l l
profess. scholast. et consil. regii
Conclamatio.

Ergo tu quoque abis, semper mihi chare sodalis,
Deseris et socium, mi Nicolae, tuum?
Nunc aderant pariter Podalyrius, Hippocratesque,
Et qui Paeonia nomen in arte gerunt.
Hinc abiens Chiron aiebat: Nulla salutis
Spes superest: nostra est fortius arte malum.
Vis morbi nullis releuanda Machaonis herbis,
Celsique, aut succis, o Epidaure, tuis.
Hydrops inualuit, curari nescia: paulo
Post cadet, immodicis corpora mersus aquis.
Haec vtinam mendax, ac vanus dixerit augur,
Euentu casso: ne rata verba forent!
O hominum fallaces spes, et inania vota!
Quid properas Pyladem deseruisse tuum?
Respice, et adstanti fido, veterique sodali,
Extremum rogito, lumina flecte tua.
Quorsum animus fugit? Quis te dolor opprimit intus,
Qui facit, vt nequeat mens memor esse sui?
Te vis mortis habet? Tu aeterno lumina somno
Claudis; perpetuo lumina caeca peplo?
Occidit, heu socii, Nicolaus! Conclamatum est!
Nec nostros surda percipit aure sonos.
Balsama ferte viri, frigensque perungite corpus.
Triste est officium; sed tamen officium est.

Θ 1804. die 19. Iul.

IOSEPH. ANTON. PETZEK

professor canonum Frib. et Vien.

Trutnauiae in *Bohemia* natus anno 1745, cum iuuenis esset imberbis, cooptatus in sodalitium *Iesuiticum*, in scholis patriis humaniores litteras tradidit. Cum res in eo esset, vt solueretur societas *Iesuitica*, *Viennam* abiit, legumque studio applicuit animum. *Rieggerio* nostro, anno 1778 *Pragam* euocato, suffectus est in eius locum, iurisprudentiae ecclesiasticae in alma *Friburgensi Albertina* professor publicus.

Neque degenerem se probauit *Rieggerii* successorem; ex quo moderatus est *Friburgi* sacrorum canonum cathedram. Data etenim qualibet occasione impugnare studuit abusus, qui pulcherrimam disciplinarum inde a longo tempore contaminauerant. Cura fuit, euellere praeiudicatas opiniones, quae plurimorum animos adhuc late occupabant, et agebant in transuersum. Eo potissimum curas et studia

sua conuertit, vt, discussis tenebris, maius lumen nonnullis quaestionibus, quae in disceptationem vocabantur, inferret. Hinc natae sunt illius dissertationes *de indulgentiis: de potestate ecclesiastica statuendi impedimenta matrimonii.* Quos quidem aduersus *Dieterici*, *Argentinensis* iurisconsulti, insimulationes strenue solideque vindicauit.

Praeclare meritus de iurisprudentiae sacrae doctrina puriore, quam in scholas et ecclesias fidus canonum interpres postliminio reduxit, dignus aestimatus est, qui augustissimo annutu cooptaretur inter *consiliarios* tribunalis *appellationum.* Ob spectatam pariter doctrinam, prudentiam, fidem atque integritatem, prae ceteris illi demandatum est iussu regio munus censoris librorum, quo fungeretur in prouincia *Austriae* anterioris. Quibus accedit, quod fuerit adlectus eorum collegio, qui iudicant de examinibus concurrentium ad obtinenda beneficia ecclesiastica.

Anno 1801 post obitum *Boehmii*, qui ius pontificium *Viennae* docuit, illuc *Friburgo* euocatus est *Petzekius*, vacanti cathedrae praeficiendus. Honorificum illud quidem *Friburgensibus* scholis, quod non multos intra annos ad illustriores academias, *Pragensem* potissimum atque *Viennensem*, accersiti sint professores plures, iuridici praecipue, et theologici, qui doctrinae atque eruditionis fama

apud nos inclaruerant. Hunc in censum veniunt *Foelschius*, *Rieggerius*, *Dannenmayer*, *Petzek*. Quibus addere possem quintum, qui amplo stipendio, magnificisque promissionibus, repetitis pluribus litteris *Viennam* inuitatus fuerat; sed ire recusauit; renuitque nominari. Praetereo *Iellenzium*, qui a nobis migrauit *Oenipontum*, legum studia, quae *Friburgi* professus erat, ibi prosecuturus. Honorificum id quidem, vt supra inquiebam, *Albertinae* nostrae *Brisgoicae:* at nescio, an non dolere magis debeamus, quam laetari; dum professores meliorum litterarum optimi nobis hac ratione eripiuntur; qui non, vt fungi, crescunt vna nocte. Iactura, quam nostra Musarum sedes passa est discessione *Petzekii*, videbatur irreparabilis: nisi inuentus fuisset in eo studiorum genere in primis exercitatus *Sauterus*, cui lampadem tradidit.

Docuit *Petzekius* in *Viennensi* Athenaeo annos tres, saluus et incolumis, de iure pontificio, et erudienda in sacris canonibus iuuentute litteraria in primis meritus. At anno 1804 intercepit docendi cursum sinistra corporis valetudo, morbus anceps, et plenus periculi, coniunctusque cum doloribus non leuibus. Laborauit extis, obstructo hepate, et male affecto, nec vices, vt par est, obeunte suas. *Hippocratis* filii, vt malo opem ferrent adhibiti, tentauerunt omnia, quidquid ex prae-

scripto artis ad rem fore existimauerant. Extrinsecus applicuere fomenta; et intus succis salubribus releuare aegrum conabantur. Nihil inde opis cum accederet aegro; medicique cernerent, se perdere operam: vt malum pertinax expugnarent, rati sunt, tentanda esse extrema. Itaque, consultatione praeuia, constituerunt, incisione corporis facta, penetrare ad partem laesam, vt salubre medicamentum propius possit certiusque admoueri. Rem periculo non vacare, minime dissimularunt consilii auctores; aegrique arbitrio relinquebant, an vellet. Ipse vero, vt erat natura neutiquam timidus, forti constantique animo statuit, consilio medicorum obsequi, maxime, quod inter eos esset *Frankius* senior, in arte medendi magnum nomen, et facile princeps. Vt morituri solent, rebus compositis, quod operatio medica discrimine haud careret, more christiano ad mortem se praeparauit. Statuta dies et hora fixa cum adesset, qua anceps, et periculosa curatio erat adhibenda: dixisse fertur: *Hic vre, hic seca; modo in aeternum parcas.* Nil territus, nec vultu mutato discrimen subiit. Secuit medicus; et aeger expirauit, anno aetatis 59.

Quae de *Petzekio* dicta a nobis sunt, partim explorata habemus ex familiari, ac diuturna 24 annorum consuetudine, quae *Friburgi* mihi cum illo intercessit; partim nun-

tiata mihi sunt per litteras *Vienna* ad me datas.

Ingenii monumenta, quae *Friburgi* euulgauit typis, exhibet *Meuselius*. Num, *Viennae* cum esset, quidquam in lucem emiserit, me latet.

EPITAPHIVM.

En tumulum, qui busta tegit veneranda magistri,
Qui docuit canones, iuraque pontificum
Qui docuit primum Friburgi; deinde Viennae,
Arte vir eximius, promptus et eloquio.
Boemus gente fuit, Iosephus nomine Petzek:
Nunc obmutescit, perpetuoque silet.
At nomen, laudesque viri non secla tacebunt:
Seraque posteritas tempus in omne canet.

In obitu
virtute et eruditione praeclari
Iosephi Petzek
sacrorum canonum professoris
Frib. et Vien.
Querelae.

Iosephum rapuit lux terque qnaterque nefasta,
Lux inter luces non habitura locum.
Quintilis bis quina dies et nona cucurrit:
Cum filum rupit de tribus vna soror.
Omnia, tempus erat, cum torruit igneus aer;
Vt solet aestiuis feruere Phoebus equis.

Artus corripuit, caecisque caloribus aestus
Vssit, et o quanto torruit igne virum!
Nil agitur succis, agitur nil Paeonis herbis:
Nil prosunt artes, Hippocratesque tuae.
Vltimus accessit medicorum summus in arte,
Chiron Phoebaei gloria prima chori:
At frustra ferro tentauit, vulnere facto,
Extis infuso ferre liquore iasin.
Inter sexcentos moreris, Iosephe, dolores:
Namque fuit docta fortius arte malum.
Nuntia cum subitae mihi venit epistola mortis,
Vbertim lacrymis est madefacta meis.
Vilescunt animo, qui delectauere libelli:
Carmina nec vatum, quae placuere, placent.
Non animum mulcet coeli clementior aer:
Nec mentem recreant solis aprica meam.
Ne quicquam quaero solitis releuamen in hortis:
Inque tuo, Ioseph, funere Flora dolet.
Lilia cum violis, hyacinthi, rosque marinus,
Atque rosae apparent, te moriente, mori.
Tristibus vt mos est; hominum consortia vito:
Et lucis fugitans, abdita quaero loca.
Heu pudor est, tanti cum sit violentia luctus,
Non dare posse piis manibus inferias.
Te dignum munus, iustumque poema deceret,
Quod caneret dotes, ingeniumque tuum.
Quodsi longa dies lenitque, leuatque dolorem:
Perficiam sollers hoc pietatis opus.
Quae vero spes est, aequare encomia laudis?
Diuitis ingenii est hoc opus, hicque labor.
Tanto oneri vix est tenuis mea Musa ferendo.
Officiis faueat pronus Apollo piis!

⊖ 1804. die 6. Sept.

I O S E P H V S K L E I N

secretarius caesareo-regius.

Gottenhemii in agro *Brisgouiensi* natus haud procul *Friburgo*, vti rudimenta religionis, et litterarum latinarum elementa, ita humaniores etiam disciplinas, et doctrinas seueriores didicit in *Friburgensibus* scholis. Philosophicum curriculum emensus, suprema magisterii laurea in ea facultate donatus est. Conuersus ad perdiscenda legum studia, non minus feliciter in illis exercuit animum, dignusque est iudicatus, qui *Licentiati* in iure gradum, atque nomen ferret. Scholastico egressus puluere peregrinationibus se dedit. Quocunque venit, obseruauit magno studio, quae aut animum prudentiae praeceptis, et exemplis excolunt; aut illum pascunt spectaculo rerum, siue naturae lasciuientis lusibus insignium, siue notabilium antiquitate, aut raritate, aut manu nobilium artificum. Nihil in moribus, legibus et institutis praeteriit, quod non da-

uerterit attenta mente. Neque neglexit *Musarum* sedes, et instrumenta, bibliothecas; quas medicas animorum tabernas dixerunt veteres.

E peregrinationibus fructuose susceptis in patriam redux, *Secretarii* caesareo-regii munere in anterioris *Austriae* prouincia auctus est; quem tamen inde a iuuenilibus annis conceperat rerum naturalium amorem, animo non excussit; sed quidquid ab impositi sibi muneris penso vacuum habebat temporis, a teneris amato studio libenter consecrauit. Excurrit frequens, vbi tempus sinebat, in vicinam nobis *Herciniam*, ad naturae visendas, colligendasque opes; lustrantique vicinos agro *Friburgensi* montes, atque iuga, comitem me saepe adiunxi, eorumdem studiorum captus voluptate. Semel, iterumque, vt votis suis faceret satis, peregre abiit in regiones longius dissitas. Visit *Heluetiam*, *Gallias*, *Belgium*, et *Germaniae* remotioris partem magnam peragrauit: magnisque laboribus, multo aere, et longis itineribus sibi comparauit naturae opum varii generis collectionem satis amplam, cuiusmodi apud priuatos vix alibi iuuenias.

Non in promtu solum habuit locupletem earumce rerum copiam ad ostentationem; sed, quod in homine iuri ciuili innutrito mireris merito, nouerat is, quantum fieri potest, rerum, quas congestas habebat, naturam,

mores, virtutem, et vsum. Habuit in numerato omnis generis herbas, frutices, arbores, plantas, lapides, metalla, sales, conchas, vniones, et quidquid tellus aut aequor parit, nutritue. Quae intuentium oculos magis capiunt, et iuuitant, volucres magnas cum minimis, quas *paradisiacas* nominant, pulcherrima serie dispositas habuit, suis quamque vestitam plumis; quasi viuerent; vna cum oui atque nidis cuique propriis. Tandem nullum fere est insectorum genus, vtut exile et contemptibile videatur, quod sylloge *Kleiniana* non comprehenderit. Atque de his omnibus tam accurate et expedite solitus est disserere, vt omnem aetatem in illo studiorum genere vnice contriuisse censeretur; dignus professorio munere, qui historiae naturalis cognitionem academicae iuuentuti exponeret.

Haec de *Kleinio* eiusque studiis adnotaui, qui familiari, longoque vsu mihi erat cognitus. De ceteris animi dotibus pari asseueratione affirmare possum, fuisse eum Christi, sanctissimaeque eius religionis cultorem sincerum, iusti et aequi tenacem, moribus candidis, humanum in omnes, et obsequiosum, fidum, constantemque amicum; qui magnum sui apud omnes, quicunque eum nouerant, reliquit desiderium. Viuis excessit anno aetatis 60.

Etsi vero egregiis ingenii animique dotibus insignis fuerit, et excultus multiplici eruditione, nihil tamen, quoad vixit, typis tradidit. Qua de re cum cogitarem, in mentem mihi venit id, quod legitur apud *Secundum*, qui, postquam affirmauerat, multos eruditorum aut modestia ipsorum, aut quiete subtrahi publico, hunc fere in modum prosequitur lib. V. ep. 25. Expertus scribo, quod scribo. *Terentius iunior* procuratione *Narbonensis* prouinciae integerrime functus recepit se in agros suos. Inuisi rusticantem: eumque vt bonum patrem familias, et diligentem agricolam intuebar, de his locuturus. Ille me doctissimo sermone reuocauit ad studia. Quam tersa omnia? Quam latina? Quam graeca? Quantum ille legit? Quantum tenet? *Athenis* viuere hominem; non in villa putes. Hucusque *Secundus*.

Quodsi parua cum magnis conferre licet: quis in *Kleinio* ciuilibus causis forique negotiis, omnem fere vitam, irretito non vehementer suspiciat tantum scientiarum, tamque amplam rerum diuersissimarum cognitionem? Quis vnum *Kleinium* non pluris aestimet, quam gerrones centum, qui chartae illinunt, quidquid in buccam venerit; foetusque abortiuos, vana, friuola, noxia luci exponunt quotidie?

Dudum de *insanabili scribendi cacoethe*

conquestus est *Iuuenalis;* qui, si reuiuisceret, pari aut potiori etiam iure querelas easdem repeteret. Nulla autem est sub sole natio, apud quam ea pestis magis inualuit, quam apud *Alemannos.* Rident non exteri solum, sed nostri etiam homines, qui rectius sapiunt, leuidensium scriptorum legiones, quae patriam nostram, velut diluuium, calamitosius inundant.

An sit malum *insanabile*, vt inquit poeta, viderint principes, et magistratus. Vtinam lex aliqua esset, quae tantam audaciam et licentiam compesceret, vt, quae a priscis illis temporibus res litteraria apud nos degenerauit nimium, consuleretur melius, suusque honos germanico nomini rediret!

E P I T A P H I V M.

Kleinius in caecas descendit saepe cauernas:
Et loca lustrauit saepe metallifera,
Laetior hinc rediit dias in luminis auras:
Infelix lapsu nunc grauiore ruit:
Lapsus in has foueas, aeternis conditur vmbris;
Vnde resurgendi copia nulla datur.
Fallor, et hinc pariter felix aliquando resurget:
Cum dabit extremum buccina sacra sonum.

In exsequiis
virtute et multiplici eruditione clari
I o s e p h i K l e i n
secretarii caesareo - regii
Praeficae
Lamentatio

Ergo abiit terris Iosephus, nosque reliquit
Vir celebris, patrii gloria magna chori.
Ante diem cecidit patrio cognomine Paruus,
Qui viuens vario nomine magnus erat.
Magnus ab ingenio, non vna magnus ab arte,
Praeclaris Phoebi dotibus enituit.
Non illum latuit, quas ducunt astra choreas,
Vtque suas peragant non sine lege vices.
Et mores rerum cognouerat interiores,
Quas vel progignit terra, vel vnda tegit.
In terris frutices, radices norat, et herbas,
Patria quas tellus, aut aliena parit.
Nosse laborauit volucres, quas educat aether,
Quotquot aquae gignant vndiuagosque greges.
Collegit volucres, collegit et oua volucrum,
Atque his inscetorum addidit omne genus.
Sollers congessit lapides, conchylia, terras,
Multiplicis generis ligna, metalla, sales.
Saepe peregrinas inuisens impiger oras,
Ad patrios rediit doctior inde lares.
Talia veridico memorauit Praefica cantu,
Planxit, et adiunxit verba suprema: Vale!
Ergo post obitum felix vale, viue beatus;
Atque tuos semper commeminisse velis.

⊙ 1805. die 1. Ian.

GEORG. MATTHAEVS SCHNIZER

superintendens Neapoli ad Aischam.

Natus est *Neostadii* ad flumen *Aischam* in ditione principis *Barutheni*, anno 1727 die 31. Dec.; sed baptizatus die 1. Ian. 1728, patrem habuit *superintendentem Neapolitanum*, *Io. Matthaeum Schnizer*. Didicit domi magisterio suorum parentum prima religionis et litterarum elementa; post traditus scholis theodiscis, demum latinis, quae sunt *Neapoli*. Nactus praeceptorem, plagosum quemdam *Orbilium*, odit studia litterarum, vt de amplectenda arte mechanica cogitaret. Parentum tamen, aliorumque, qui scholis praeerant hortatu, mutata mente, institutum litterarum cursum, quantum in patria poterat, strenue continuauit, absoluitque.

Anno 1747 studiorum causa *Erlangense Athenaeum* petiit. Perceptis ibidem philologicis atque philosophicis institutionibus, totum se tradidit addiscendis disciplinis theologicis, ductu potissimum cl. *Pfeifferi*, cui plurimum

in sacris studiis se debere, palam testatus est. Anno 1749 annuente patre profectus est *Wittenbergam*, vt, quae sibi adhuc deesse videbantur, suppleret. Accuratiorem itaque linguarum orientalium, sacrarum antiquitatum, et historiae litterariae theologiae cognitionem sibi acquirere contendit. Cooptatus in institutum pastorale (*Prediger-Institut*) nihil praetermisit, quod ad exercitationes homileticas et catecheticas pertineret.

Absolutis theologiae vniuersae studiis, antequam rediret in patriam, vicinas quasdam academias visere constituit, vt, qui in illis sunt, viros doctrina claros cognosceret, veneraretur coram, eorumque beneuolentiam, amicitiamque sibi conciliaret. *Halae* quidem inhumanius se exceptum fuisse querebatur. Obiiciebant praecipue hi, qui orphanotropheo praeerant, quid sit, quod, *Hala* praetermissa, *Wittenbergam* concesserit. Dolebant eius vices, tanquam hominis seducti. Precabantur, vt a *Fermento Wittenbergico* sibi caueret.

In patriam redux, variisque muneribus publicis tum in scholis tum in ecclesia, rite perfunctus, post obitum *Lerchii superintendentis*, qui anno 1768 mense Nouembri vita decessit, supremi in ciuitate et dioecesi ephori munus et dignitatem obtinuit, administrauitque annos 40 et quod excurrit, donec mo-

reretur, ea, qua par est, integritate, fide, prudentiaque; id solum conquestus, quod maiorem in modum doluit, esse e grege suo, qui religionem contemnerent, deriderentque.

Quae mihi cum sene optimo intercesserit necessitudo, paucis adiungo. Recensuit *Schnizerus* bibliothecam suam, quam ex codicibus, tum manu exaratis tum typo excusis, collectam habebat; vulgauitque typis. Rogátus a me per litteras anno 1802, vt tragoediam secundam *Senecae* (coenam *Thyestae*) quam penes eum esse intellexeram, editam a *Conrado Celte*, recensitam accuratius ad me daret. Ille vero, quod spem omnem, atque expectationem meam superabat, visis meis litteris, nullaque interposita cunctatione, opusculum ipsum lubens, volensque misit muneri.

Quodque doni litterarii augebat pretium, litteras adiunxit, humanitatis, officiorum atque beneuolentiae plenas; quibus testabatur, sibi ante obitum, supremaque funera euenire acceptius nihil potuisse, quam videre meas litteras, quibus posset, vt vellet, pro libitu gratificari. Defert obsequia, vt, siquid quacunque in re posset, libere imperarem. Petit denique, vt in amicorum censum se referrem.

Epistola eum in modum contexta an aliquid inueniri humanius, scribi mellitius, aut suauius legi potest? Putares ex optimi *Nestoris* ore, calamoue non stillare, nisi faui

liquores, aut ambrosiam, vel siquid dulcius illis. Ferreus sit, aut is, cui *Titan* iratus duram chalybem circa pectora finxit, qui non moueatur ad amorem mutuum; neque excitetur ad referenda paria, ipsismet brutis deterior, quae agnoscunt beneficia, et, quibus possunt modis, retaliant.

Non cogitatione assequi, neque verbis, pro dignitate, exprimere possum, quantum voluptatis ceperim viso amici dono, lectisque litteris. Prima cura fuit circumspicere, an sit quidquam in facultatibus meis, quo grati animi significationem aliqua ratione testari possem. Munusculum, quod antidori loco misi, non fuisse ingratum, ex alteris amici litteris aeque amanter scriptis affatim cognoui; sumque gauisus maiorem in modum, nomen meum, quod etiam atque etiam precabar, in amicorum album relatum ab ipso fuisse.

Illud solum mihi triste fuit, ac illaetabile, quod tam sero tam charum amicum nosse coeperim, cuius possessionem diuturnam non fore metuebam. Vtinam fuisset timor iste vanus, quo percellebar! At fata properarunt plus quam vellem. Vix enim tertius abiit annus; cum mors, non praematura illa quidem neque praecox, mihi amicum, amico vitam abstulit: senio enim confectus ad alteram vitam migrauit aetatis anno 78.

Quae de *Schnizero* a me dicta sunt, hausi

potissimum ex eius vita, quam ipsemet descripsit, praemisitque notitiae sextae de bibliotheca ecclesiae *Neostadianae ad Aischam* (Der Kirchen-Bibliothek zu Neustadt an der Aisch sechste Anzeige) 1787. 4.

Vbi omnia, quaecunque eum attinent, plenius enarrantur.

Effigiem sui opusculis ad me missis vir humanissimus adiunxit, tanquam pignus amicitiae in perennem sui memoriam. Quae emisit in lucem ingenii monumenta *Meuselius* recenset.

EPITAPHIVM.

Iani prima dies, qua laetus amicus amico
Omnia fausta vouet; donaque fert xenia,
Pastori fido summe fuit exitialis:
Nil valuere sui vota precesque gregis.
Qui cubat hic praesul primae rapuere Kalendae,
Nomine Schnizerum, promeritumque senem;
Qui fere centoculo fuerat vigilantior Argo;
Nunc tenet assiduus lumina clausa sopor.
Ergo pii cineres tranquilla pace quiescant;
Donec erit membris reddita vita suis.

In morte
virtute, doctrina, et senio
venerandi
Georg. Matthaei Schnizer
sacrorum supremi antistitis
Neapoli ad Aischam
Expostulatio
aduersus vulgare dictum:
Mortem senum ne lugeas.

Fallit, qui dixit, veteri quod grammate fertur:
Non decet incurui fata dolere senis.
Non ita senserunt, bene docti dogmata morum,
Isacidae, summi gens benedicta Dei.
Insignes pietate viros, senioque verendos
Post obitum flerunt, codice teste sacro.
Perlege, quam longo longaeui fata Iacobi,
Tempore plorarit gens numerosa Phari.
Agypti luctum cumulatis luctibus auxit
Iosephus; tumulo cum daret ossa patris.
Nec tulerunt fratres sine luctu funera Ioseph,
Annos qui centum vixerat atque decem.
Respice, quo planctu deflerint Mosen et Aaron
Abramidae, populi nomina magna sui.
Non exempla vetus duntaxat suggerit aetas;
Plurima nam pariter secla secuta ferunt.
Quid vetat ergo senes moderato plangere luctu,
Qui rectas ibant, iustitiaeque vias?
Qualis erat riguam sacrorum praesul ad Aischam,
Annis longaeuus vir, meritisque potens,
Nomine Schnizerus, qui longae tempora vitae
Moribus integris vixit et innocuis.
Morti vicinus, cum fixi terminus aeui
Adforet; haec moriens verba suprema dedit:

Vixi: sat vixi: stadium, cursumque peregi,
Quem statuere mihi fata, bonusque Deus.
Tempus et hora monent, alias concedere in oras,
Pax vbi perpetua est; verque perenne viget.
Hic vbi cernemus coelesti lumine Numen,
Angelicos inter coelituumque choros.

☉ 1805. die 8. Iun.

MATTHIAS DANNENMAYR

prof. hist. eccl. Viennae.

Öpfingae, haud longe ab *Ehinga*, apud *sueuos* natus an. 1744, litteras humaniores didicit *Ehingae* a Benedictinis *Zwifaltensibus*. Philosophiam et moralem theologiam audiit *Augustae Vind.* praeceptoribus Iesuitis. Dogmaticae theologiae et iuri canonico nauauit operam *Friburgi*; seque ad supremam theologiae obtinendam lauream praescriptis examinibus parauit. Presbyterio initiatus *Constantiae*, e *Marisburgensi* seminario ad nos rediit, an. 1771 doctor theologiae renuntiatus. Primo polemicam tradidit; an. 1773 enarrare coepit publice historiam ecclesiasticam. Accersitus *Viennam*, ecclesiasticos annales ibi explicuit. Paucis ante obitum annis motus

cathedra, solemni decreto admotus fuit muneri *bibliothecarii* academici; quod an. 1805 vna cum vita deposuit, pulmonum inflammatione absumptus.

Scripsit historiae ecclesiasticae institutiones, propositumque praemium centum aureorum inter corriuales ceteros meruit. Non deerant, qui acutius sibi videre visi sunt, et heterodoxias vestigia in hoc opere deprehendere. Vnde factum est, vt in auditorum numero semper haberet, qui eum obseruarent. Neque illa suspicio ex scrupulosorum animis potuit penitus excuti. Tandem triumphasse sibi visi sunt, quod cernerent, decreto solemni cathedram permutasse cum munere *bibliothecarii*, quod tum minime ambierat. Noua cum adordanda erat editio historiae suae ecclesiasticae; monitus, alia omittenda esse, alia addenda, haud aegre paruit; nouamque editionem absoluit paucis ante obitum diebus. Quid sit discriminis veterem inter et nouam, prudens lector facile intelliget, vtramque si contulerit.

Quae modo retuli, inter eruditos, maxime *Viennenses*, satis quidem cognita sunt, et perspecta clarius: at non ita constat, *Dannenmayerum* et *Rieggerum* sociis mecum initis consiliis, *bibliothecae eccl. Frib.* dedisse initium; vno autem, alteroue edito fasciculo, resiluisse ab incepto, atque omnem fere molem deuoluisse in humeros meos, vel quod

essent obruti occupationibus, aliis, vel quod minus arrideret id litterarum, aut scribendi genus.

Neque praeterire hic loci fas est, praesidis munere in collegio *Sapientiae* cum laude functum esse *Dannenmayerum* annos tres. Inter contubernia studiosorum, quae *Friburgi* vigebant olim, istud ceteris eminebat. Hinc sunt egressi magno numero, et ecclesiae religiosi antistites, et tribunalium iudices seueri; sed tamen aequi. Cauit sapienti consilio auctor collegii, *Ioannes Kererus*, vt non alerentur in eo plures, quam duodecim; probe gnarus, esse noxiam iuuenum conuictorum magnam multitudinem. Siquidem corruptus vnus scabiem suam facile possit incorruptis pluribus affricare. Probe id cum perspicerent episcopi, non destiterunt monere, precari, instare apud *Leopoldum* imperatorem, donec seminaria generalia, quae *Iosephus II.* instituit, destitueret, atque aboleret.

Quibus tandem ingenii animique dotibus ornatus fuerit *Dannenmayerus* noster, paucis habe: Cum fuerit ingenio acri, et acuto, veniens *Friburgum*, nullo paene negotio intellexit, sub barbaris doctoribus philosophiam discendo inanem se operam lusisse. Audito *Rieggerio*, illas quisquilias pertaesus, longe diuersam sibi studiorum rationem ineundam esse sensit. Missis itaque quaestionibus vanis,

quae ex inani illa sophistice oriuntur, meliori doctrinae atque iuris naturalis defoecatiori disciplinae se totum tradidit. Hinc sibi assuefecit facilitatem, de propositis quaestionibus, aut rebus recte iudicandi. Fuit indagandae veritatis laboriosus inquisitor: neque prius ab inuestigatione destitit, quam verum inuenisse sibi visus est: verissimeque in ipsum congruit illud: *Plus olei*, *quam vini.* Erat enim abstemius. Hinc coniectari licet, non fuisse proletaria, quae in praelectionibus publicis, ad quas sedulo se parare solebat, annalium ecclesiasticorum fidus, atque doctus interpres protulit. Quid dicam de officiis erga amicos? Nemo ipso fidelior, constantiorue; et si de arcanis illi concreditis sermo est: fuit pisce magis mutus. Hilaris vero, eloquio promptus, atque iucundus in familiaribus amicorum circulis, in quibus, vbi locus, et tempus ferebant, exhilarabat praesentium coronam salibus innocuis.

Quae de *Dannenmayero* commemorata a me sunt, didici potissimum ex longa familiari consuetudine, quae mihi cum eo *Friburgi* intercessit. Elucubrationes ab eo in lucem datas refert *Meuselius.*

EPITAPHIVM.

Matthias praesente cubans sub cespite dormit,
Qui vitae tristes senserat ire dies,
Discessit moriens inter fera praelia Martis.
Inter et infestae murmura rauca tubae.
O ter felicem, cui mors optata quietem
Attulit, et pacis munera grata dedit.
Nunc fruitur coelo, diuina luce beatus,
Et cum coelicolis gaudia mille capit.

Ad funus
ingenio et doctrina conspicui
Matthiae Dannenmayeri
historiae eccl. professoris
et bibliothecarii
Viennae
Inuitatio.

Vos lecti iuuenes, Parnassi montis alumni,
Quotquot et Aonii fontis amatis aquas!
Vosque viri celebres, varias cultique per artes,
Queis et naturae vis melioris inest!
Nuntia moesta fero: noster Dannenmayerus
Occidit, et morti praeda cupita iacet.
Huc iuuenes animo lugubri suspiria ferte,
Et gemitus tristi mittite corde viri.
Huc huc effundant largos pia lumina fletus,
His est fluminibus victima digna laui.
Quod dolor iste iubet: pullato incedite cultu:
Nam luctum, et lacrymas est color iste decens.
Funereo, vt par est, comitatui adeste frequentes,
Et bene promerito soluite iusta viro.

Illius in laudes memorabile dicite carmen,
Quod Dannmayeri nomen ad astra ferat.
Spargite doctorum virides insignia lauros,
Et plenis manibus lilia mixta rosis:
Nectite de violis, varioque papauere serta,
Funebre quae pingant florida dona solum.
Non absint nardi passim redolentis aristae:
Nec desit thyma, nec rosmaris vsque virens
Ipse ego non deero: veterano carmen amico,
Quantum fert tenuis nostra Thalia, feram.
Inscribam tumulo testes constantis amoris
Versiculos paucos; hoc breue tetrastichon:
Conditus hic tegitur clarus Dannenmayerus,
Doctrina, ingenio, iudicioque potens,
Consilio promptus, pius, integer, atque facetus
Haec quicunque leges; fausta precare. Vale.

Ad Cl.
Matthiam Dannenmayerum
post obitum illius
amici epistolare metrum.

Agnoscis dilecte manum constantis amici,
Qua vix in terris notior vlla fuit?
Iugiter ante oculos mihi chare recurris Orestes:
Nec potis est mea mens immemor esse tui.
Vis, tibi perscribam, quaepost tua fata superstes
Vidissem, patriis gesta fuisse plagis.
Tempus erat belli: cum carne solutus abires:
Paulo post Iani limina clausa dei.
Nec diuturna fuit, quae pax recreauerat orbem.
Namque vocauerunt rursus ad arma viros.
Et subito nostris iterum contraria votis
Horridius nostro bella sub axe fremunt.

Armati rursus ferro grassantur, et igni;
Perque vias dantur vulnera, perque domos.
Nullibi tuta salus: sunt omnia plena timoris:
Non portus restat, perfugiiue locus.
Squalida vastatis apparent frugibus arua;
Nec sinit agricolas miles arare solum.
Cetera praetereo, quae sunt incommoda Martis;
Vulnera nec verbis sunt refricanda meis.
Nec turbars licet tristi tua gaudia cantu,
Quae paradisiaci ruris amoena ferunt.
Haec tibi scribebam residens frondente sub vmbra,
Corda leuans curis quomodocunque suis.

Θ 1805, die 9. Iul.

GEORG. WOLEGANGVS PANZER

praepositus eccles. cathedr. Norimb.

In *palatinatu* superiore natus anno 1729 die 16. Martii, aspexit primam lucem *Sulzbachii*, prouinciae ciuitate primaria: supremus erat sacrorum antistes apud *Noricos*, capituli cathedralis ad *S. Sebaldum Norimbergae* praepositus, sodalitatis florigerae *ad Pegnesum* praeses, conditorque *Annalium typographicorum* apud Germanos praecipuus, ac polyhistor. Qua ratione, aut vbi, quibusue praeceptoribus iuuenilibus annis fuerit institutus, vt

ad eam multiplicis doctrinae laudem peruenire, mihi enarrare integrum non est. Quanquam enim dubium non sit, parentatum fuisse viro praestantissimo oratione funebri, aut sermone panegyrico, quo ea omnia curatius referri solent: nihil tamen istiusmodi, quod aegerrime fero, ad meas manus peruenit; vt fere pudeat, laboranti haerere aquam.

Vt ne virum celeberrimum, et amicum optimum, turpi silentio prorsus videar praetermittere, officiorum immemor, iuuat litteris *Nicolai Willii*, cuius in pagellis nostris necrologicis supra meminimus, ea huc transferre, quae vitam, atque mores *Norici* antistitis attinent. Eo potissimum spectat *Williana* epistola, ad me data ex *Norimbergensi* ciuitate anno 1802 die 20. Augusti. Cetera inter ita habet:

Quae mihi mandasti, curaui sedulo. Salutaui magnificum *Panzerum* tui causa. Plurimam tibi remittit salutem, lubens volensque pollicitus, impertiturum se esse *Celtis* opuscula, siqua habet, quae tibi desunt. Vir est aetate grauis, dignitate spectabilis, summo in honore apud suos, plenus humanitatis, et studiosissimus gratificandi, atque in persequendis tum suo, tum alieno nomine officiis accuratissimus, diligentissimusque; hospitalis praesertim iuris cultor obseruantissimus, quod expertus praedico.

Tempus omne, quod hic ego, cum habeam curis, atque occupationibus necessariis vacuum, vt fere exules solent: libenter illud colloco in lustrandis bibliothecis, gymnasiis, scholisque publicis. Contemplor, dum vacat, *Noricae* ciuitatis monumenta, instituta; quid ni et armamentaria, aliaque, quae *Celtis* tuus in sua *Norimberga* meminit. Diebus vero dominicis, atque festis, postquam in sacra aede *Teutonicorum* equitum sacris operatus sum, ecclesiastes audio, qui non vno modo pro concione dicunt in hac ciuitate. Sunt, qui orationis sectantur genus floridum, ad mulcendas multitudinis aures, verborum luminibus conspersum vndique. At *Panzerus* ab adscititio eo cultu, ac ab omni fuco abhorrens, vtitur dicendi genere seuero magis, et ad commouendos animos aptiore; quem, quicunque sapiunt, audiunt lubentius, et maiore cum fructu.

De *Panzero* et illud nosse te cupiam, esse eum solitudinis amantem, iugiter addictum studiis; raroque pedem efferre domo, nisi forte ad inuisendos aegrotantes, aut poenitentium excipiendas confessiones. Non est opum appetens, neque diuitiarum. Venatur libros selectos, et rariores, quorum multitudinem magnam collegit vndique, multo labore, incredibili studio, et iniquis saepe pretiis. Putares, si videres, totam domum bibliothecam esse. Neque

illud ignorare te velim, esse illum *atecnqn*, atque celebrasse paucis abhinc annis coniugii iubilaeum; gratulantibus amicis litteratis, tum prosa, tum metro; nec silentibus *Musis* sodalitatis florigerae *ad Pegnesum*, cuius est praeses. Quidquid est carminum, quae huc attinent, dono tibi feram, cum rediero. Hucusque *Willius*.

Quibus quod addam, non habeo, nisi tristem obitum, qui bonis omnibus erat luctuosus. Decessit senex optimus die 9. Iulii an. 1805, aetatis anno 76. Ingenii, doctrinae, et eruditionis praestantiam loquuntur opera, quae reliquit multiplicis argumenti. Palmam autem ceteris praeripit insigne opus: *Annales typographici*; quod auctori immortalem peperit famam nominis; quanquam numeris omnibus absolutum non sit. Neque enim prius huius generis sperandum est perfectum opus; quam, quicunque bibliothecis vbilibet praesunt, aut assident, adnotarint, indicarintque codices singulos, qui in collectione *Panzeriana* desunt; desunt autem longe plurimi; quemadmodum vel ex sola *Friburgensium* academica bibliotheca facile ostendi posset. Alterum, quod desiderant eruditi in *Panzeri* annalibus, est, quod in iis praetermiserit, quidquid est veterum codicum theodisci sermonis. Norunt equidem, peculiari opere publicatos illos esse ab *annalista Norico* an 1788. At mallent bibliophili, eosdem suis esse locis insertos in amplissimo opere latino.

Testis est, *Meuselius*, biographiam *Norimbergensis* antistitis legi in *promptuario* (Magazin) vniuersali, destinato vsibus praeconum sacrorum, quod vulgatur *Beyeri* studio. Nobis vero id operis ad manum non fuerat: cum haec scriberemus.

Ad tumulum
Georgii Wolfgangi Panzer
praepositi Norimbergensis
et florigerae societatis praesidis
viatoris et Musae
Dialogus.

Dic mihi Musa virum, tumulo qui conditur isto?
Antistes templi, praepositusque sacer.
Panzerus iacet hic, canis venerabilis annis,
Praeses florigeri, Pegneidumque chori.
Illustrem credamne virum his habitare cauernis,
Vt tristes noctes hic agat assiduas?
Absit. Habet tumulus positum; sed inane cadauer
Putre, quod in pastum vermibus esca venit.
Quidquid terrenum est, dederat quod terra, reposcit:
Cunctaque cum domino mors rapit atra suo.
Diuitiae, luxus, dominatio, gloria, honores,
Forma, genus, lusus, vt sonus intereunt.
Omnia terra suis sepelit, conditque sub antris:
Et quocunque vides, constat in orbe nihil.
Ista caduca cadunt; sed permanet omne per aeuum
Spiritus, in quem nil mors fera iuris habet.
Solos ingenii foetus, et germina verae
Virtutis nulla est vis abolere potens.
Immortalis erit Panzerus: gloria, nomen,
Lausque viri, nullo sunt peritura die.
Ipse sibi struxit monumentum firmius aere,
Condens Annales nempe typographicos.

FINIS.

Staats-
Bibliothek
Bamberg

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Klüpfel, Engelbert,

Necrologium Sodalium et Amicorum litterariorum qui autore superst. d. s. obierunt

Friburgi u.a. [1809]

Bamberg, Staatsbibliothek -- Coll.vit.o.121-a
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11440550-4